l. 1723

DISPVTATIO
DE NATVRA POENITENTIÆ ADVERSVS BELlarminum, per Franciſcum Dillinghamum baccalaureum in Theologia.

Lucæ 24.

Oportet in Chriſti nomine prædicari reſipiſcentiam omnibus gentibus.

Qui promiſit pœnitenti veniam non promiſit peccanti diem craſtinum.

CANTABRIGIÆ
Ex officina Iohannis Legat. 1606.

IL LVSTRISSI-
MIS EQVITIBVS DOMINO Miloni Fleetwood, & Domino Olivero Luke, *generosissimoq; Armigero Gulielmo Gostwick*, gratiam *& pacem.*

RESipiscentiæ naturam, provocatione mea, populo Dei explicaturus, non subterfugi, vti vos clarissimi viri probè nostis. Quæ vero inter concionandū, fusè sum persequutus, ea in tractatu hoc contraxi. Mirum certe nonnullis videri possit, vt post Evangelium in florentissima ista Ecclesia tot annis promulgatum, doctrina de pœnitentia proponeretur. Res fateor deploranda est, Evangelium altiores radices in animis hominum non egisse, sed meminisse nos oportet, nihil novi nunc contigisse. Prophetæ Dei olim continenter resipiscentiam populo prædicabant, verum quid fructus inde proveniebat, testantur ipsorum Prophetarum scripta. Nunc dierum, ministri verbi divini, fideli-

ter officio suo functi sunt, verum Papistæ & ἄθεοι quidam ita abundant, vt si vnquã pœnitentia proponenda esset, ea hoc tempore apprime vtilis & necessaria sit. Est quidem pœnitentiæ nomen amarum, res vero ipsa salutaris. Qui etenim veram pœnitentiam agit mortem *παντων φοβερων φοβερότατον* nunquam timebit: Est siquidem mors piorum, melior propter novitatem, optima propter securitatem. Quid igitur retribuent pii deo, qui ineffabile hoc beneficium pœnitentiæ illis contulit? quid vero facient impii qui necdum resipuerunt? ipsam resipiscentiam sine mora vlla accelerent: quo vero, hoc facilius efficiatur natura veræ resipiscentiæ cognoscenda est. Iam vero huius cognitionem, non parum vti spero promonebit, tractatus iste, tam in populo quam in quibusdam ministris. Vereor, vereor equidem, ne horum crassa ignorantia & supina negligentia, in prædicanda pœnitentia, multis in animarum ruinam cedat. Optime *Chrysostomus* homil. 41. in Mat. Nulla re deus magis offenditur, quam si indignus sacerdotii dignitate præfulgeat. hoc cum vos minime fugiat, supervacaneum erit multa dicere. Iam vero vti tractus iste hunc v-

sum

sum habet, ita inserviet, etiam tanquam antidotum, contra Pontificiorum venenatam doctrinam de pœnitentia. Dogmata Papistarum, hac de re, hic non describam, cum in ipso tractatu, hoc à me factum sit. Neque solum Papistarum venenatam doctrinam de pœnitentia depingit, sed etiam ipsorum contradictiones ob oculos strictim ponit. Clamant Iebusitæ & Æsanitæ vnitatem penes sese remanere, dissidia vero orthodoxos vbique occupare. Hoc quam falsum sit, vti multis aliis operibus palam feci, ita hic etiam luce clarius ostendi. Quocirca (viri clarissimi) in magnam spem vocor, me laborem nec vobis iniucundum, nec Ecclesiæ inutilem suscepisse dum istum tractatum edendum curavi. Det Deus vobis & Heroinis vestris vt veram pœnitentiam agatis, & in eadem indies magis magisq; crescatis. hoc si feceritis multos proculdubio lucrifacietis, imo arrham & pignus æternæ salutis in vobismetipsis habebitis. *Calend. Decemb.* 27. 1606.

Reverentiis vestris addictissimus,
Franciscus Dillingham.

Christiano Lectori.

QVanto cum supercilio (Christiane Lector) tribuit Bellarminus Orthodoxis dissensiones, circa partes pœnitentiæ, tum ex disputatione hac tum ex scriptis ipsius Bellarmini cognoscere potes: vt crimen hoc de dissensione dilluerem, respondi discrepasse Orthodoxos, non in doctrinæ substantia, sed in acceptione vocis Pœnitentiæ: siquidem vox Pœnitentia alio atque alio modo sumitur, vti declaravi: hanc meam responsionem postea reperies sententiis grauissimorum virorum confirmatam, facere non potui quin & gauderem, & tibi etiam (benigne Lector) significarem. Confirmat hanc meam responsionem Gulielmus Bucanus in locis Communibus, loco nimirum de pœnitentia. quærit ille quot modis vsurpatur vox pœnitentiæ: respondet quatuor, 1. synecdochichè. 2. generaliter pro tota hominis ad Deum conuersione. 3. specialiter pro regeneratione. 4. pro externa pœnitentiæ professione. Plura apud ipsum Bucanum legi possunt. Confirmat etiam Responsionem meam doctissimus vir Theodorus Beza in Responsione sua ad calumnias Heshusii; verba multa sunt proinde eorundem recitatione supersedebo. Hæc tibi Christiane Lector significare visum est ne obiectio-

obiectione Bellarmini de dissentionibus nostris offendaris. Est certè inter Orthodoxos de doctrina Pœnitentiæ non acris pugna sed suavis harmonia: inter Papistas vero quot & quantæ dissentiones sunt, ex earum epitome, quam in fine huius operis subiunxi facile curvis constare queat. Quod ad mendacia attinet quæ à Bellarmino Orthodoxis ascribuntur, ex vno de reliquis coniecturam facito. Calvinus asserit Catholicos docere Contritionem mereri peccatorum remissionem: hoc asserit Iesuita esse mendacium, Calvinum à mendacio liberabit Thomas in supplem. quæst. 1. art. 1. sic etenim scribit. Nihil est meritorium nisi actus virtutis, sed contritio est actus virtutis, ergo &c. Vlterius non progrediar. Tuum erit (benigne Lector) si quid vtilitatis ex disputatione hac de pœnitentia nactus fueris, me precibus tuis Deo commendare.

De Pœnitentia.

DE pœnitentia verba facturus, quod Isocrates de Iustitia, idem ego de pœnitentia dico. ἡβουλόμην vtinam tam facile esset auditores amore virtutis inflâmare, quàm eam facile est collaudare. Nunc metuo ne frustra hæc á me dicantur. Corrupti enim & depravati sumus iam longo tempore, &c. Sed dabit Deus servis suis vt veram pœnitentiam agant vtcunque (canente Poëta

Ætas parentum peior avis, tulit
nos nequiores, mox daturos
progeniem vitiosiorem. Horat. lib. 3. od. 6.

Vt rem ipsam itaq; aggrediar, missis mendaciis & calumniis, quæ à Bellarmino, Luthero, Calvino, aliisq; doctissimis viris impinguntur. pœnitentiæ nomen enodabo: Adversarii (inquit Bellarminus) ab ip- Lib. 1. de pœnit. cap. 7.

ſo pœnitentiæ nomine fundamentum iacere incipiunt errorum ſuorum. Si ergo docuero Orthodoxos non hallucinatos eſſe inexplicatione nominis pœnitentiæ, ſequetur illos hac in re non ieciſſe fundamentum errorum ſuorum, ſed ipſos Papiſtas qui vim nominis ignorant, aut ſaltem malitiosè diſſimulant. Contendit Beza (inquit Bellarminus) vocem μετανοεῖν propriè ſignificare, poſt factum ſapere, eiq́ue reſpondere latinam vocem reſipiſcere vnde eſt reſipiſcentia, & vocem hebraicam *Shub*, vnde eſt *teſhubah* conuerſio, quod idem obſeruauit Iohannes Calvinus, lib. 3. Inſtitut. cap. 3. Quid hic improbat Bellarminus? hoc ſcilicet, quòd Doctores iſti Grammatici potius quàm Theologi, vocum ſignificationes ex Etymologia potius ducunt, quàm ex communi ſcripturæ & bonorum authorum vſu. Fatetur ergo Bellarminus vocis etymologiam nobis favere, nonne eſt autem vocis etymon

Lib. 2. ethic. cap. 1.

δεινὸς ἐξηγητὴς. Ariſtoteles probat virtutes nobis à natura non eſſe inſitas, ſed conſuetudine acquiri, quia τὔνομα ἔσχηκε μικρὸν παρεγλίνον παρὰ τοῦ ἐθοῦς. parùm itaque fœliciter refellit Ieſuita orthodoxos, qui illis notationes vocum contra clariſſimorum

ſcrip-

ſcriptorum conſuetudinem eripere conatur. Accedo ad vſum harum vocum. Xenophon.lib.1.de Cyri inſtitutione ſic ſcribit, ἐκ τούτου δὲ ἀναλαζόμεθα μετανοεῖν. inde coacti ſumus mutare ſententiam, hanc eſſe huius vocis interpretationem clamat inſtitutum Xenophontis. Platonis teſtimonia quæ oſtendunt vocem μεταμανοεῖν ſignificare poſt factum ſapere, taceo, ea ex ipſo Platone peti poſſunt, videl. in Gorgia. nunc diſpiciamus ſolidæne ſunt Bellarmini rationes, ad evertendam vocis etymologiam necne: antequam verò hoc faciam in ipſo aditu cauſæ, quomodo à Ieſuita peccatur oſtendam. Si vſum ſpectemus harum vocum (inquit ille) videbimus *ſhub* μετανοεῖν & ipſum præcipue pœnitere velit nolit Eraſmus externum dolorem ac pœnam ex interna conuerſione perfectam ſignificare, & idcirco latinum interpretẽ melius voce pœnitentiæ vſum eſſe, quàm feciſſet, ſi voce reſipiſcentiæ vti voluiſſet. O mirificum diſputatorem, quæritur de Hebraicæ & Græcæ vocis ſignificatione, fugit iſte tenebrio ad latinæ vocis ſignificationem: omittatur itaque ipſum vocabulum pœnitere & agamus de hebraica voce *ſhub*, & græca μετανοεῖν. Venio nunc

ad

ad argumenta. Vnum locum videl. ex Ioelis 2.cap. profert, quo probat *ſcindite* non poſſe referri ad ſolam animi mutationem, cùm tam perſpicuè dominus iubeat eos converti in ieiunio, fletu, & planctu: proinde converſio quam vox illa hebraica ſignificat internam & externam ſimul actionem comprehendit. Nonne te pudet Bellarmine tam languidè diſputare? vnuſne locus ſcripturæ communem vſum hebraicæ vocis oſtendet? Nota regula eſt. Vna iuſta actio hominem iuſtum non facit. verum ſi plus habuiſſet Ieſuita plus dediſſet, vt vulgò dicitur. Attamen nec iſte locus cauſam Proteſtantium lædit, nam non tollunt illi externum dolorem, ſed ſtabiunt, præcipue internum animi dolorem in reſipiſcentia requiri volunt; quod ex eodem loco conſtat Lacerate (inquit propheta) corda veſtra non veſtes. Vltimo quid iuvat iſte locus Pontificiorum defenſionem? nam Pœnitentiæ nomine volunt illi ſignificari contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis: hæccine imperantur à Propheta? hoc ſi diceret Ieſuita, Pœnitentia erit veteris teſtamenti ſacramentum quoad materiales partes, quod non audet ipſe Bellarminus

Ariſt. 2. & cap. 4.

larminus asserere. Ex hisce opinor (Lector) constat Bellarminum è veteri instrumento, causam Pontificiam non promovisse, videamus an fœliciùs illi cessit in novo instrumento, vt probet græcam vocem μετανοεῖν non posse verti resipiscere profert ex Matth. 11. & Lucæ 10. hæc verba, Si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sint in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, apud vtrumq; Euangelistam est vox μετενόησαν. Quod omnino absurdè Beza reddidit resipuissent, quid enim est in cilicio & cinere sedendo resipiscere? Certè resipiscentia si propriè accipiatur saccum & cinerem præcedit. Respondeo per Metonymiam vocem μετανοεῖν posse saccum comprehendere, rationem ex Basilio reddo. saccus ad pœnitentiam facit quòd sit humilitatis signum, olim namq; Patres in sacco & cinere sedentes pœnitentiam egerunt. Vides Bellarmine actiones has pœnales (vti loqueris) esse tantum signa resipiscentiæ. Ad eundem modum explicari possunt loca illa quæ Ninivitarum resipiscentiam tractant. Locum alterum profert Iesuita ex posteriori ad Corinthios epistola, cap. 12. ver. 21. non resipuerunt super impuritate. in Psal. 29.

ritate. hoc loco (inquit ille) μετανοησατωσαν vertitur à Beza resipuerint omnino contra proprietatem græci latiniq; sermonis. Nam nec latinè dicitur resipiscere super peccato, & Græcè illud ἀπο causam significare solet, ac pro eo poni quod est ob vel propter, si quis autem dicat pœnitentiam esse agendam ob peccatum commissum rectissimè dicit; est enim culpa causa pœnæ, cum ex culpa obligatio nascatur ad pœnam, at resipiscendum ob culpam non nisi absurde loqueretur, cum non culpa resipiscentia causa haberi potest, cum non ex culpa sed ex bona aliqua aspiratione resipiscentia oriatur. Cupio me Bellarmine certiorem fieri quare latinè non dicatur resipiscere super peccato, interpres tuus reddidit egerit pœnitentiam super immunditia, an hæc loquutio latinius sonat quàm altera? non dubito quin hoc tenes, præpositionem (super) sæpe poni pro (de) non est autem contra proprietatem latini sermonis dicere resipuerint de peccatis. Iam secundam tuam rationem excutiam. Culpa inquis non est causa resipiscentiæ, sed bonum desiderium. Quid Bellarmine oblitus es vulgatæ huius maximæ, Ex malis moribus

bus bonæ naſcuntur leges? oblitus es diſtinctionis cauſæ, in cauſam perſe, & cauſam per accidens? deniq; nonne eſt bonum deſiderium cauſa pœnæ illius quam tu in pœnitentia exigis? certè ſi non ſit cauſa, nunquam pœna illa Deo grata & accepta erit. Atque ſic Scripturæ loca expedivi. Baſilii locus ex dictis ſuperioribus explicari poteſt.

Lactantius lib. 6. cap. 4. ſcribit fatente ipſo Bellarmino Metanoiam reddi poſſe reſipiſcentiam, ergo convenit nobiſcum in græcæ vocis interpretatione. Hinc ſequitur Bezam ex Lactantii ſententia fidelem interpretem egiſſe, dum reddidit vocem Metanoiam reſipiſcentiam. μετανοια inquit Lactantius reſipiſcentia dicitur, nam mentem quaſi ab inſania recipit. At inquit Bellarminus reſipiſcentiam poſtea explicat ad hunc modum: Reſipiſcit autem quem errati piget & ſeipſum caſtigat dementiæ, & confirmat ad rectiùs vivendum. Reſpondeo, primò aliud eſt eſſe interpretem aliud definitorem; Interpres debet cavere quantum fieri poteſt, vt quàm minimè à verbis diſcedat: ſecundo nihil hic dicit Lactantius, quod non amplectuntur Proteſtantes. De Latina voce

Pœ-

Pœnitentia quid attinet dicere, cùm ea in Scripturis non reperiatur? quæritur enim quomodo vertendæ ſunt Græcæ & Hebraicæ voces. Fateor Ciceronem per vocabulum pœnitentiam intelligere animi dolorem: ſic etiam Ovidius voce hac vtitur: nam æthnicis pœnæ ſunt omnium graviſſimæ, criminum admiſſorum recordatio, vt loquuntur Euthicidium Colonienſe 1103 pag. credebant illi culpam expiari non poſſe, vt eodem loco habetur. Eſt pœnitere (inquit Sipontianus) ob factum aliquod vel non factum animo augi & dolere. ergo Latina vox etiam internum præcipuè animi dolorem ſignificat. Fateor Patres hos Tertullianum, Cyprianum, & Auguſtinum per vocabulum pœnitentiam intelligere pœnam: ſed
cap. 9. quæritur an papiſtico ſenſu Tertullianus in libro de pœnitentia aſſerit confeſſione pœnitentiam naſci, pœnitentia Deum mitigari. Vbi ergo tres pœnitentiæ partes, quas Papiſtæ nobis obtrudunt, videl. Contritio, Confeſſio, & Satisfactio? Audi
cap. 24. Beliarminus Tertullianum lib. 2. contra Marcio. ſic ſcribentem. in græco ſono pœnitentiæ nomen non ex delicti confeſſione ſed ex animi demutatione eſt com-

compoſitum. Fatemur cum Cypriano, pro varietate criminum maiorem vel minorem debere eſſe pœnitentiam: & cum Auguſtino, Pœnitentiam eſſe bonorum quotidianam pœnam; De Eraſmi pœnitentiæ notatione non ſum ſolicitus. Nũc rationes contra Papiſtarum opinionem depromam. Volunt illi per hanc loquutionem, (agite pœnitentiam) hæc includi, confeſſionem peccatorum, & ſatisfactionem operis. At hoc fieri nequit, nam Baptizandi debent reſipiſcere, at non debent confiteri peccata, vel pro eiſdem ſatisfacere. Aquinas 3.par.69.quæſt.art.5. Peccatoribus baptizatis non ſunt imponenda opera ſatisfactoria. Et rurſus, Ei qui baptizatur pro quibuſcunq; peccatis non eſt aliqua ſatisfactio iniungenda, hoc enim eſſet iniuriam facere paſſioni & morti Chriſti, quaſi ipſe non eſſet ſufficiens ad plenariam ſatisfactionem pro peccatis baptizatorum. Secundo Rhenenſes in cap. 1. Marci. aſſerunt Chriſtum egiſſe pœnitentiam. ergo vel Chriſtus doluit de peccatis ſuis, quod blaſphemũ eſt, vel poteſt quis agere pœnitentiam ſine dolore & vitæ mutatione. Hoc eſt quod Eraſmus ſcribit, Noſtrum vulgus

Nota

2

putat esse pœnitentiam agere præscripta
3 pœna quapiam luere commissa. Tertiò
ipsi Rhenenses Act. 5. vers. 31. vertunt pœ-
nitentiam *Repentance*, id est, resipiscentia-
am. Alibi verò vertunt, *doe pennance*, id est,
satisfacite. Hinc apparet veritatem, velint
4 nolint Papistæ, à nobis stare. Quartò Ter-
tullianus & Lactantius nostram interpre-
tationem confirmant, verba atque testi-
5 monia recitata fuere. Quintò fatentur
Papistæ Pœnitentiæ Sacramentum non
fuisse institutum, antequam verba hæc à
Christo fuere prolata. Quorum remiseri-
tis peccata &c. ergo vbicunque in veteri
testamento, & etiam in novo, vsque ad il-
lud tempus, quo Christus ita loquutus est,
non potest præceptum pœnitentiæ includere confessionem auricularem & satis-
factionem. Imò nec postea includit præ-
ceptum pœnitentiæ (ex ipsorum Papista-
rum sententia) confessionem & satisfactio-
nem, quando infideles & baptizandi iu-
bentur resipiscere. Proferant ergo vnum
Scripturæ locum in quo Pœnitentiæ præ-
ceptum quod ad fideles attinet, in se con-
tinet confessionem & satisfactionem: ego
reperire non possum eiusmodi locum. Vl-
6 timò fatetur Bellarminus cap. 8. veram
pœni-

pœnitentiam in ſola mentis conuerſione, atque interna peccati deteſtatione conſiſtere poſſe: ergo optimum erit ita vertere vocabulum, vt hæc interna mutatio habeatur, nam exteriora ſigna veluti mœror, lachrymæ, corporis afflictatio, non proſunt ſine interiori animi demutatione. Atque hæc de ipſa vocis verſione dixiſſe ſufficiat. Poſt vocis explicationem proponit Bellarminus ſtatum quæſtionis his verbis. An pœnitentia ſignis externis manifeſtata, accedente ad eam verbo abſolutionis, ſit Sacramentum novæ legis propriè dictum? At Bellarmine debuiſſes tu vnum ſaltem locum Scripturæ protuliſſe ex nova lege vbi vox Pœnitentia hæc includit. Mirum ſi Chriſtus in novo teſtamento inſtituerit Sacramentum pœnitentiæ, & tamen ne vnus apex ex ſacra pagina proferri poteſt quo inſinuatur vocem *metanoian* hæc exteriora ſigna cum abſolutione Sacerdotis includere. Expedito ſtatu quæſtionis ex ipſo Bellarmino, accedo ad Novatianorum hæreſin: nam nos cum hæreticis illis ſentire ſcribit iſte bonorum calumniator. Novatiani, inquit Ambroſius, lib. 1. de pœnit. cap. 1. negant his oportere reddi communionem qui

prævaricatione lapsi sunt. Num ita sentiunt Orthodoxi? Novatiani soli Domino remittendorum criminum potestatem reservabant, itane Protestantes? Novatus (inquit Theodoretus) dixit, non oportere eos qui pietatem abnegassent salutem consequi. Nihil tale docent Orthodoxi. Cathari, qui Novatiani sunt (inquit Augustinus) pœnitentiam negant: absit vt nos ita faceremus. Novatiani, authore Philastrio, dicebant non esse fideli post baptismum locum aliquem pœnitentiæ: hanc positionem nos eiuramus. Quid attinet plura ex Socrate & Cypriano afferre? hæc grauissimorum authorum testimonia purgant nos ab ista hæresi. Quod si Novatiani non sumus, nedum Novatianistæ erimus vti iste calumniator scribit. Desine Bellarmine ficta crimina sanctis viris impingere: equidem Deus sine pœnitentia tibi retribuet pro tuis conuitijs. An Novatus vel Novatianus author huius hæreseos fuit, non perquiram; agam id quod cum instituto coniunctissimum est. Proponam itaque Bellarmini argumenta pro ementito hoc sacramento. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; ex quibus

cap. 2. lib. 3.

verbis

verbis duo colliguntur, inquit, quę ad omne ſacramentum propriè dictum conſtituendum & requiruntur, & ſufficiunt. Ritus externus, ſiue ſymbolum diuinitus inſtitutum, & promiſſio gratiæ iuſtificantis, illi ritui annexa. ſyllogiſmum dabo.

Vbi eſt ſymbolum externum & promiſſio gratiæ iuſtificantis, ibi eſt ſacramentum:

At hic eſt ſymbolum externum, & promiſſio gratiæ iuſtificantis:

Ergo eſt ſacramentum.

Reſpondeo ad propoſitionem. Quidni inde concluſerit Bellarminus prædicationem verbi eſſe Sacramentum? Nam apud Iohannem, Apoſtoli mittuntur ad prædicandum Euangelium. vide Theophylactum in 16. Math. Secundò, ſi externus ritus & promiſſio gratiæ iuſtificantis ſufficiunt ad ſacramentum, ergo Pœnitentia erit ſacramentum etiam veteris teſtamenti. Nam in veteri teſtamento pœnitentia habuit externum ritum, & promiſſionem gratiæ, vt ex Ioelis ſecundo capite conſtat. Tertiò ex hoc Bellarmini principio, vnctio extrema ex numero ſacramentorum eſt expungenda, quia non habet gratiam iuſtificantem, cum dari poſſit non-

prævaricatione lapsi sunt. Num ita sentiunt Orthodoxi? Novatiani soli Domino remittendorum criminum potestatem reservabant, itane Protestantes? Novatus (inquit Theodoretus) dixit, non oportere eos qui pietatem abnegassent salutem consequi. Nihil tale docent Orthodoxi. Cathari, qui Novatiani sunt (inquit Augustinus) pœnitentiam negant: absit vt nos ita faceremus. Novatiani, authore Philastrio, dicebant non esse fideli post baptismum locum aliquem pœnitentiæ: hanc positionem nos eiuramus. Quid attinet plura ex Socrate & Cypriano afferre? hæc grauissimorum authorum testimonia purgant nos ab ista hæresi. Quod si Novatiani non sumus, nedum Novatianistæ erimus vti iste calumniator scribit. Desine Bellarmine ficta crimina sanctis viris impingere: equidem Deus sine pœnitentia tibi retribuet pro tuis conuitiis. An Novatus vel Novatianus author huius hæreseos fuit, non perquiram; agam id quod cum instituto coniunctissimum est. Proponam itaque Bellarmini argumenta pro ementito hoc sacramento. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; ex quibus

cap. 2. lib. 3.

verbis

verbis duo colliguntur, inquit, quę ad omne ſacramentum propriè dictum conſtituendum & requiruntur, & ſufficiunt. Ritus externus, ſiue ſymbolum diuinitus inſtitutum, & promiſſio gratiæ iuſtificantis, illi ritui annexa. ſyllogiſmum dabo.

Vbi eſt ſymbolum externum & promiſſio gratiæ iuſtificantis, ibi eſt ſacramentum:

At hic eſt ſymbolum externum, & promiſſio gratiæ iuſtificantis:

Ergo eſt ſacramentum.

Reſpondeo ad propoſitionem. Quidni inde concluſerit Bellarminus prædicationem verbi eſſe Sacramentum? Nam apud Iohannem, Apoſtoli mittuntur ad prædicandum Euangelium. vide Theophylactum in 16. Math. Secundò, ſi externus ritus & promiſſio gratiæ iuſtificantis ſufficiunt ad ſacramentum, ergo Pœnitentia erit ſacramentum etiam veteris teſtamenti. Nam in veteri teſtamento pœnitentia habuit externum ritum, & promiſſionem gratiæ, vt ex Ioelis ſecundo capite conſtat. Tertiò ex hoc Bellarmini principio, vnctio extrema ex numero ſacramentorum eſt expungenda, quia non habet gratiam iuſtificantem, cum dari poſſit non-

nunquam immediatè post pœnitentiæ sacramentum, quod gratiam iustificantem dedit. Vnde quidam, vt fatetur ipse Bellarminus, asseruit, peccata venalia tantum remitti in hoc commentitio sacramento. Pergit Bellarminus. Cùm Dominus Apostolis concesserit potestatem remittendi peccata hominibus, dubitari non potest quin signo aliquo externo eam potestatem exerceri voluit. Neque enim homines qui corporales sunt peccata sibi remitti intelligerent, nisi voce, aut signo aliquo externo ac sensibili remitterentur. Respondeo, non est dubitandum, quin Apostoli signo sensibili remiserint peccata, videl. prædicatione verbi divini, quod signum sensibile est. Euangelium, inquit Paulus, est potentia dei ad salutem. ad Rom. 1. Ad hæc inquit Bellarminus, ritus externus pœnitentis ex eodem testimonio rectè colligitur, neque enim peccata remitti debent, nisi iis qui se peccata habere, eaq; sibi displicere testantur. Valde occulatus es Bellarmine, qui ritum externum pœnitentis, scilicet confessionem auricularem hinc elicis. Cum Minister & Præco Euangelii possit inter concionandum anuntiare remissionem peccatorum pœnitentibus,

bus, etsi ii non ostendunt ea signa, quæ tu ostendi cupis, sed videamus quomodo Bellarminus hanc responsionem Protestantium tollit. Etiamsi, inquit, solum de remissione per annuntiationem Euangelii dominus loqueretur, adhuc Aduersarii sacramentum negare non possunt, siquidem ipsi omnia Sacramenta, nihil aliud esse volunt, quàm quandam Euangelii annuntiationem ad fidem excitandam. Respondeo, dicunt Orthodoxi cum Augustino, sacramenta esse verba & signa visibilia. Mentitur ergo Bellarminus, dum tale dogma nobis ascribit, quale non tenemus. Valeat itaque illa comparatio baptismi & absolutionis, quæ sequitur apud Bellarminum: festino ad aliud Protestantium responsum. Quis inquit Calvinus ignorat, munus Apostolis illic fuisse iniunctum, quo erga extraneos fungerentur, ea legatio est quæ per Euangelium defertur in Ecclesiam nondum cooptatis. Hanc responsionem probat Kemnitius ex vltimo cap. Lucæ, vbi Dominus iussit prædicari pœnitentiam in nomine suo per omnes gentes: hæc enim loca cùm de eadem re tractant se invicem explicant. Quid ad hæc Bellarminus. Respondeo,

inquit, duobus modis potest intelligi locus Euangelii qui habetur Iohannis 20. vno modo, vt data sit Apostolo authoritas peccata remittendi, tum infidelibus tum fidelibus. Prior expositio est Cyrilli in eum locum, & eam sequi videntur Aduersarii. Itidem & tu sequeris hanc expositionem lib. de Rom. pont. cap. 12. Patres (inquis) disertè dicunt, dari hic potestatem remittendi peccata per sacramenta *B*aptismi & Pœnitentiæ. Vide Chrysostomum & Cyrillum in hunc locum, & Hieronymum in Epist. ad Hebdibiam, quæst. 9. Agnosce verba tua *B*ellarmine. Ex hac expositione colligit *B*ellarminus Sacramentum pœnitentiæ hoc modo. sicut potestas remittendi peccata infidelibus non sine Sacramento quodam exercetur, ita nec potestas remittendi fidelibus, ac proinde reconciliatio fidelium post baptismum sacramentum quoddam est. Respondeo. Nego *B*ellarmine istam ridiculam consequentiam, Infideles postquam conuertuntur & credunt, debent ad sacramentum *B*aptismi accedere, ergo fideles similiter debent habere. sacramentum absolutionis si lapsi sunt. Absolutionem & reconciliationem post satisfactionem

Ec-

Ecclesiæ concedo, sacramentum nego. Hanc expositionem nunc refellit Bellarminus & locum de solis fidelibus intelligi vult: ita fluctuat respondendo, vt quem in portum se recipiat, nescire plane videatur. Audiamus illius ieiunas rationes, quibus refellit hanc Cyrilli expositionē. tres autem sunt. 1ª est Iohannes non solet repetere ea quæ alii Evangelistæ scripsere, nisi fortè cum aliquid circa eandem historiam addendum iudicat. Respondeo. Hoc nugari est non argumentari, nam quid si non solet repetere res ab aliis scriptas? ergo nunquam res easdem scribit quas alii scripsere? hæc si vis Bellarmine, multis exemplis mendacii convinceris. Deinde Iohannes addidit hic quædam, quæ alii omisere, *viz.* Spiritus sancti afflatum: ita plane argumentum Bellarmini concidit. Quod sequitur, Euangelistas & ipsum Christum spectat. Christus ante passionem suam, inquit Iesuita, dederat Apostolis Baptizandi potestatem, vt idem Iohannes testatur cap. 4. nulla igitur causa erat, cur post resurrectionem suam hanc potestatem Apostolis daret. Hæc lego cum horrore: nam Matthæus disertè docet 28. cap. authoritatem bap-

baptizandi Apostolis post Christi resurrectionem collatam, seu potius renovatam & auctam fuisse, idque meritissimè: nam in prima missione non licuit Apostolis gentibus prædicare, nec easdem baptizare. Qua fronte audes tu Iesuita scribere nullam causam fuisse cur Dominus post resurrectionem suam hanc potestatem daret? Secunda Bellarmini ratio hæc est. Potestas clavium datur hoc loco Apostolis sanctis vt Catholici,& hæritici, id est,vt orthodoxi,& Papistæ concedunt, potestas autem clavium non est ad Baptismum necessaria cùm non solùm ministri Ecclesiastici,quibus claves dantur,sed etiam Laici imò etiam non Christiani, baptismum aliquando dare possint. Respondeo, in vestra Ecclesia Laici baptismum dare possunt, sed qua authoritate? Laicis, inquit Tertullianus, sacerdotalia iniungunt ipsæ mulieres hæreticæ, quàm procaces quæ audent tingere. Quod dicit Bellarminus non baptizatos posse baptizare,ego Theologo indignum esse iudico. Verum quid si concedatur Laicos posse baptizare, an propterea iste locus Iohannis non pertinebit ad eos qui extranei fuere? quasi vlli baptizandi erant, nisi prius

ad

ad fidem conuerterentur? ad fidem autem & pietatem adducebantur homines, per Euangelii prædicationem: hoc ita verum est, vt ipse aduersarius negare non possit: evanuit itaque hæc obiectio, cùm non nudus baptismus infidelibus, sine institutione dari debeat. Tertia Bellarmini ratio hæc est, potestas clavium sine dubio iudicialis est potestas, vt alio loco probaturi sumus, non autem iudicant Christiani de infidelibus, sed de fidelibus tantum. Quid ad me attinet (inquit Apostolus) 1. Cor. 5. de iis qui foris sunt iudicare? Respondeo, potestas clavium est iudicialis potestas, sed ministerialis tantum: non prętoria, qui hac potestate instructi sunt, eos omnes quibus prædicant iudicant: verbum quod ego loquutus sum inquit Christus, iudicabit eum in novissimo die. Ioh. 12. At negat Paulus se posse iudicare de infidelibus. Respondeo, loquitur de iudicio excommunicationis, vti totus contextus evidentissime ostendit. Claves non solum in Ecclesiastica disciplina, sed etiam in prædicatione Euangelii consistunt: arguere itaque ad hunc modum, gladius excommunicationis non est stringendus contra infideles, ergo verbum Dei illis non est annuntiandum

tiandum est delirare. Quod subiungit Bellarminus, Patres quosdam nullam mẽtionem baptismi facere, ineptum est: nam primò Euangelium debet infidelibus prædicari, & si resipuerint, tum debent baptizari. subiungit Lucam & Iohannem non loqui de eadem re. Hanc Iesuitæ responsionem tollit Thomas 3. part. quæst. 94. art. 7. Qui contendit sacramentum pœnitentiæ ibi apud Lucam à Domino institutum fuisse: quod si sacramentum ibi institutum fuit, necesse est vt Iohannes & Lucas de eadem re agant: atque proinde quæ sequũtur apud *B*ellarminum falsa sunt. Triumphat postea *B*ellarminus de expositione sua his verbis: quod si posterior hæc expositio admittatur, evacuatum est plane obiectum adversariorum. Ante victoriam Bellarmine canis triumphum. nam præterquam quod Thomas tuus te refellit, ratio evidentissima est, cur locus Iohannis de infidelibus etiam sit intelligendus. nam Apostoli missi sunt ad infideles. Iste autem Iohannis locus authoritate Apostolica eos donat; quod ante promisit Christus hic præstat. Quid hic negare potes *B*ellarmine? videamus secundum tuum argumentum. Sacramentum,

tum, inquis, est sacræ rei signum, at pœnitentia est sacræ rei signum. ergo. Respondeo, meminisse oportebat *Bellarmine* te lib. 1. de sacram. cap. 11. definitionem hanc imperfectam appellare; si accipiatur vt verba absolutè sonant: nec immerito. sic lotio pedum, & sacrificia, aqua benedicta, & Crux, sacramenta essent. nam rerum sacrarum signa sunt: explicas itaque definitionem tuam hoc modo. per signum intelligunt Catholici, (Cacolici dixisses,) signum practicum atque efficax, quod significando efficit; per rem sacram, gratiam iustificationis, quæ tunc à Deo in animam infundatur, cum signum illud extrinsecus adhibeatur. Iam confessio pœnitentis, & verbum absolventis, signa sunt gratiæ iustificantis. Respondeo, petis *Bellarmine* principium, dum vis sacramenta esse signa practica, id est, ex opere operato conferre iustificationem: sacramenta sunt sigilla fidei· εἰ γὰρ τὸ βαπτίσμα σφραγὶς τῆς πίστεως, inquit *Basilius*. vnde appellatur etiá à Naz. ἔρεισμα τῆς πίστεως. Deinde erras turpiter in Theologia, cum vis gratiam iustificationis in animam infundi. Iustificatio est remissio peccatorum, quid est (inquis tu) peccatorum remissio nisi iustificatio cap. 10. lib. 1. de

lib. 3. contra Emo. de bapt.

de pœnitent. remissio autem peccatorum non est in anima sicut color in subiecto, sed fide apprehendatur vti docet Paulus abunde 4. cap. ad Rom. Vltimò confessio peccatorum si salutaris sit, provenit ex fide, non eam dat, nam confessio peccatorum effectum siue signum pœnitentiæ est, vt ipse loqueris cap. 19. lib. 1. de pœniten. Antequam ad Patres accedo, restat argumentum desumptum è Kemnitiana Sacramenti definitione solvendum, est autem huiusmodi, vbi omnes conditiones Sacramenti adsunt, ibi sacramentum est, at in pœnitentia omnes conditiones sacramenti sunt. ergo. Respondeo. Falsissima est assumptio. nam in Sacramento debet esse elementum corporale & visibile, at non est tale aliquid in pœnitentia. secundò debet sacramentum novi testamenti institutum esse in novo testamento, at pœnitentia non est instituta, sed renovata. tertiò promissio Dei debet per sacramenta obsignari, at nihil tale est in pœnitentia. ergo. Patrum testimonia congerit Bellarminus, sed tantùm pompæ causa, Pater nullus antiquus appellat pœnitentiam sacramentum: solus Victor quidam Cartenensis ità nominat pœnitentiam. at

Ber-

*B*ernardus appellat lotionem pedum ſacramentum: ſic Ambroſius, num inde cõcludet *B*ellarminus lotionem pedum eſſe propriè ſacramentum? coniungunt equidem patres pœnitentiam cum baptiſmo, quia remedium eſt quo baptizati poſt baptiſmum vti poſſint vt cum deo in gratiam redeant. Iſidorus lib. 6. Etymol. cap. 19. numerum ſacramentorum recitat. ſunt autem ſacramenta inquit baptiſmus & chriſma, corpus & ſanguis Chriſti, quæ ob id ſacramenta dicuntur, quia ſub tegmento corporalium rerum virtus divina ſecretius ſalutem eorundem ſacramentorum operatur. Vnde & à ſecretis virtutibus vel ſacris, ſacramenta dicuntur. Ex hoc teſtimonio clarum eſt in ſacramentis ſingulis requiri rem corporalem. Chriſma autem à nobis reiicitur, quia in Scripturis non reperitur. Teſtimonium Ambroſii à *B*ellarmino probatum oſtendit pœnitentiam non eſſe ſacramentum: ſed dices (inquit) quia in lavacro operatur miſteriorum gratia, quid in pœnitentia, nonne dei nomen operatur? Ex hiſce verbis conſtat Ambroſium non agnoviſſe ſacramentum pœnitentiæ, tunc enim dixiſſet, nonne eadem gratia myſteriorum operatur in

lib. de pœnit. cap.

pœ-

pœnitentia? nonne sunt vtraque sacramenta, sive misteria paria? sed dicit, nonne Dei nomen operatur? vult gratiam in Dei nomine concessam pœnitenti tam efficacem esse, sine, quàm in sacramento. Argumentum vltimum *Bellarmini*, de Ecclesiæ Romanæ authoritate petitum, responsione indignum est. hic vetus proverbium locum habet: pete absolutionem à Socio. Solutis *Bellarmini* ratiunculis, superstant nostra argumenta defendenda. sic argumentatur Calvinus. Romanenses scholastici anxie in reperiendo hic sacramento desudant, nec mirum videri debet, nodum enim in scirpo quærunt, quod tamen optimum habent rem implicatam suspensam, incertam, opinionumq; varietate confusam ac turbatam relinquūt. Respondet *Bellarminus*. Calvinum aptè à mendacio exordium ducere: Theologi enim summo consensu pœnitentiam sacramentum esse docent, neque vlla est inter eos de hac re opinionum varietas, in eo solùm nonnihil laborant vt ostendant in hoc sacramento, quid sit sacramentum tantùm, quid res tantùm, quid res simul & sacramentum. Respondeo. Hæc *Bellarmini* responsio argumentum Calvini stabilit,

bilit, nam qui in materia ſacramenti, & eſſentialibus partibus diſſentiunt, ii in ipſa re diſſentiunt: at hoc veriſſimum eſt, vti conſtat ex 15. cap. Bellar. lib. 1. de pœnit. Quidam, inquit Lombardus, lib. 4. diſtinct. 22. dicunt Sacramentum hic eſſe quod exterius tantum geritur ſcilicet exterior pœnitentia, quæ eſt ſignum interioris pœnitentiæ, ſcilicet contritionis cordis & humiliationis. Quod ſi ita eſt, non omne ſacramentum Euangelicum id efficit quod figurat: exterior enim pœnitentia non efficit interiorem, potius interior eſt cauſa exterioris. ſed ad hoc inquiunt illi, hoc eſſe intelligendum de illis ſacramentis quæ in novo teſtamento inſtituta ſunt, vt eſt ſacramentum Baptiſmi, confirmationis, & corporis Chriſti; ſacramentum verò pœnitentiæ, ſicut & coniugii ante tempus gratiæ à primordio humani generis fuit, vtcunq; enim inſtitutum fuit in primis parentibus. Item ſi exterior pœnitentia ſacramentum eſt, & interior res ſacramenti, ſæpius præcedit res ſacramentum, quàm ſacramentum rem. ſed nec hoc inconveniens, nam & in aliis ſacramentis quæ efficiunt quod figurant, hoc ſæpe contingit. Quidam autem dicunt

exteriorem pœnitentiam & interiorem esse sacramentum, nec duo sacramenta sed vnum, vt species panis & vini non sunt duo sacramenta sed vnum: & sicut in Sacramento corporis Christi, ita etiam in hoc sacramento dicunt aliud esse tantùm sacramentum, scilicet exteriorem pœnitentiam, aliud sacramentum & rem, scilicet interiorem pœnitentiam, aliud rem & non sacramentum scilicet remissionem peccatorum. Interior enim pœnitentia & res est sacramenti, id est exterioris pœnitentiæ, & sacramentum remissionis peccati, quam & signat & facit: exterior quoque pœnitentia & interioris signum est & remissionis peccatorum. Hæc Lombardus qui Calvinum à mendacio liberat, & illius argumentum roborat; sic etenim concludere licet. Qui de signo & re signata & de eo quod est signum & res signata contendunt, ii per consequens de ipso sacramento dissentiunt. at hoc faciunt Romanenses. Propositio clara est: nam illa tria requiruntur in omni sacramento, quæ si dempseris, ruit sacramentum: dum ergo in his tribus dissentiunt, per consequens in ipso sacramento dissentiunt. Reliqua Calvini argumenta non persequar,

fere

fere coincidunt cum primo Kemnitii, si itaque illud firmum esse ostendero, vnà & Calvini argumenta propugnabo. Ex divina institutione (inquit Kemnitius) non habet tale externum & materiale elementum, quale est in baptismo, & in Eucharistia: quod ad integram definitionem, & genuinam proprietatem sacramenti pertinet. Negat Bellarminus tale externum elementum requiri, in omni sacramento quale requiritur in baptismo & Eucharistia. Audi ergo Augustinum tractatu 8. in Iohan. accedit verbum ad elementum & fit sacramentum: at inquit Bellarminus de solo baptismo loquitur: ô miserum & ineptum commentum. nam hoc modo probat aquam esse sacramentum Augustinus, quod habet elementum & verbum institutionis, id est sacramentum, at Baptismus habet elementum & verbum institutionis, ergo est sacramentum: qui non videt hunc esse Augustini syllogismum, ipso meridie cæcutit. Secundum Kemnitii argumentum ad hunc modum formatur. In pœnitentia veteris testamenti fuit contritio confessio & quædam veluti satisfactio, cum potestate remittendi peccata; atqui ea pœnitentia non fuit sacra-

mentum propriè dictum. ergo. Propoſitio clara eſt, nam confeſſionem & ſatisfactionem, Catholici ex veteri teſtamento probare ſolent: Aſſumptio ex Tridentino Concilio confirmatur. Reſpondet Bellarminus, propoſitionem argumenti magna ex parte falſam eſſe. Non fuit (inquit) in veteri teſtamento poteſtas remittendi peccata. Audi Chryſoſtomum lib. 3. de Sacerdotio. Corporalem lepram purgare, ſeu veriùs dicam, haud purgare quidem, ſed purgatam probare, Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat; at verò noſtris ſacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Reſpondeo, ſi nulla eſſet alia ratio purgandi ſordes animæ ſacerdotibus conceſſa, niſi audiendo confeſſiones, aliquid ex Chryſoſtomo protuliſſet Bellarminus, ſed in eodem capite oſtendit Chryſoſtomus, quomodo purgãt ſacerdotes animæ ſordes. Parentes (inquit) nos in præſentem, ſacerdotes in vitam æternam generant: ſubiungit poſtea hoc fieri non doctrinæ ſolum atque commonitionis ſed precum præſidio, atque probat ex Iacobi 5. cap. Quod ſcribit Bellarminus Sacerdotes novi

vi Teſtamenti Iudiciaria poteſtate abſolvere, non autem ſic feciſſe Nathanem dilutum eſt. Hanc opinionem Magiſter ſententiarum lib. 4. diſtinct. 19. lit. d. pluribus verbis convellit. ſolus Deus hominem mundat interiùs à peccati macula, & à debito æternæ pœnæ ſolvit, qui per prophetam ait. Ego ſolus deleo iniquitates & peccata populi. Item Ambroſius, Verbum Dei dimittit peccata, ſacerdos, & Iudex: ſacerdos quidem ſuum officium exhibet, ſed nullius poteſtatis iura exercet. Item ille ſolus dimittit peccata, qui ſolus pro peccatis noſtris mortuus eſt. Item Auguſtinus, Nemo tollit peccata, niſi ſolus Deus qui eſt agnus tollens peccata mundi. Hactenus Lombardus. Quæro igitur, an Eccleſia Romana ſenſit tunc temporis cum Lumbardo, necne? ſi ſenſit, tum moderna Rom. Eccleſia diſceſſit ab antiqua: quòd ſi non ſenſit, ergo Magiſter ſententiarum quandoque derelinquit Eccleſiæ Romanæ doctrinam: ſed mihi non perſuadeo Magiſtrum à doctrina antiqua hac in re diſceſſiſſe, in margine hæc verba non habentur. Nota quid hic Magiſter non tenet. Quod ſi Sacerdotes iudices eſſent, miſeri procul dubio iudices eſſent.

nam in Iudice requiritur notitia discernendi, qua caruisse sacerdotes pontificios testatur Lombardus his verbis. Scientiam discernendi non habent omnes Sacerdotes, vnde dolendum est atque lugendum. Multi enim licet indiscreti, atque scientiæ qua eminere debent expertes, sacerdotii gradum recipere præsumunt, vita & scientia eo indigni, qui nec ante sacerdotium nec post, scientiam habent discernendi qui ligandi sunt vel solvendi. Dum ergo Nathan Davidem absolvi declaravit, idem feci quod nostri sacerdotes facere possunt, quibus (vt inquit Magister) Dominus tantum tribuit potestatem solvendi & ligandi, id est ostendendi homines, ligatos vel solutos esse. Vt rem hanc clariùs explicem: si duo Sacerdotes audirent hominem peccata confitentem, alter remitteret homini peccata sua, alter retineret, vtrius sententia stabit? nonne illius quæ divinæ voluntati consona est? ergo sacerdotis sententia est tantum divinæ voluntatis declaratio. Hæc fusiùs sum persequutus quia fundamẽtũ dogmatis papistici ab imo cõvellũt. Nihil itaq; hactenus protulit Bellarminus, quare non teneamus pœnitentiam non minus fuisse sacramentum

mentum veteris teſtamenti quàm novi. Inſtat Kemnitius. Apoſtolus Petrus, Act. 10. & Paulus 26. affirmant ſe de pœnitentia in Deum, & de accipienda remiſſione peccatorũ non aliter docuiſſe quàm Prophetas. Reſpondet Bellar. At quid hoc ad propoſitum facit? num ideo Pœnitentia veteris teſtamenti ſacramentum erit, aut novi non erit? Apoſtoli enim loquũtur de Pœnitentiæ virtute, ea præſertim quæ ad infideles pertinet qui conuertuntur ad fidem: eam autem ſemper fuiſſe in vſu & à Prophetis frequenter prædicatam non negamus; aliud autem virtus Pœnitentiæ quæ neceſſaria ſemper fuit, aliud verò ſacramentum pœnitentiæ, quod à Chriſto inſtitutum, in ſolo teſtamento novo locum habet. Reſpondeo, ſi Apoſtoli loquuntur de pœnitentia infidelium, qui ad fidem conuertuntur, nonne authoritatem ex dicto Chriſti quod 20. Iohannis deſcribitur prædicandi hanc pœnitentiam accepere? nunquam enim Apoſtoli ita ordinariè annuntiaſſent pœnitentiam gentibus, niſi Dominus hoc iis mandaſſet. Quemadmodum enim famulus, (vt tu alibi loqueris) hic in terris cum aliquid agit, quod non lib. 2. de con. cap. 2.

potest nisi iussus à Domino, & non est stultus, omnes intelligunt eum habere mandatum, etiamsi non dicat se habere mandatum: vt si Lictores capiant magnum aliquem virum in medio foro, aut si viatores indicant Senatoribus tali die habendum Senatũ &c. quod si virtute illius mandati quod apud Iohannem reperitur, gentibus prædicabant pœnitentiam, quæ non est Sacramentum, ergo ibi non instituit Christus Sacramentum hoc. quod si ibi non instituit, nullibi hoc fecit: & certè quis negare potest, Apostolos dum convertebant infideles ad fidem, peccata remisisse? ergo illud Christi præceptum de remittendis peccatis locum habet extra commentum Papisticum de confessione auriculari, & absolutione sacerdotali. In illa Infidelium pœnitentia non negabit opinor Bellarminus, contritionem, confessionem, & absolutionem quandam fuisse, cùm in eadem peccata remissa fuerint. Valeat itaque ieiuna Sophistæ Responsio. Quærit deinde Kemnitius, cur ab exemplis testamenti veteris sacramentum pœnitentiæ nituntur confirmare, si pœnitentia in testamento veteri sacramentum non erat? Respondet Bellarminus, probant

bant Papistæ virtutem pœnitentiæ, sine qua Sacramentum aut esse, aut certe vtile esse non potest. Imo Bellarmine, cum agitis de satisfactione, quatenus est pars vestri sacramenti, profertis exemplum Davidis: esto tu ipse testis in libro tuo de satisfactione, qui tractas illam, quatenus est pars vestri sacramenti, & tamen profers exemplum Davidis, vt probes remissâ culpâ, non semper quoque pœnam temporalem remitti. sed ridiculè, nam primùm, exemplum vnum non facit regulam communem. Secundò Augustinus sic scribit, rectissimè dicitur subsequutum fuisse illius comminationis effectum, vt pietas Davidis in illa humilitate exerceretur, atque probaretur. Confessionem probas etiam ex veteri testamento quatenus est pars vestri sacramenti, vltimo capite 20. lib. de pœnitentia: non potes proferre vnum scripturæ locum è novo testamento pro externis doloris signis quæ in pœnitentia requiris, sed fugis ad Ioelis 2. cap. At materiales partes sacramentorum novi testamenti in eodem inveniuntur. Si ergo signa externa doloris, ad Pœnitentię sacramentum necessariò requiruntur, ea haberentur in novo testamento. hinc sequitur,

de peccat. lib. 2. cap. 34.

quitur, vel Pœnitentiam fuisse veteris testamenti sacramentum, vel materiales partes eiusdem diu informes fuisse, cùm Papistæ materiales partes eiusdem (vt illi loquuntur) è veteri testamento probent. Verum vt de Ioelis loco pauca dicam, imperatur ibi publica pœnitentia, vti ex 15. & 16. versibus constat. Quid, Bellarmine? necessariòne ad peccati remissionem, requiritur publicum ieiunium, & fletus, & planctus? absit vt hoc affirmares. Præterea, nonne peccata remitti possunt sine fletu? quid si dolor ita ingens sit, vt homo flere nequeat? leves dolores loquuntur, ingentes stupent. Non tollo lachrymas, sed existimo, quòd vti quandoque hypocritæ crocodili lachrymas emittunt, sic pii nonnunquam à lachrymis temperant. Vtinam mitteremus ad Deum legatos pro nostris peccatis lachrymas veras: sed docere peccata sine lachrymis condonari non posse, cum interior dolor sincerus habeatur, iter (vt mihi videtur) est ad desperationem. Ad reliqua progredior. In secundo capite (vti Bellarmino placet) Kemnitius ludit, & inepte, vt solet, ratiocinatur:

tur: sic enim loquitur: Baptista prædicavit Pœnitentiam in remissionem peccatorum: summa etiam prædicationis Christi ita describitur, pœnitentiam agite, & credite Euangelio: docuit autem & Baptista & Christus de contritione. Baptistæ auditores confessi sunt peccata sua, Matth. 3. & Christus privatam absolutionem impertiit Matth. 9. & Luc. 7. quare igitur pœnitentia illa à Christo & Baptista prædicata non est sacramentum. Mitto Kemnitii responsionem à Bellarmino memoratam, & cum ipso Bellarmino agam, summa responsionis ad primam argumenti partem hæc est. defuit absolutio potissima sacramenti pars. Equidem Papisticam absolutionem defuisse fateor, sed Iohannem nullam absolutionem impertiisse nego: etsi non legimus eum pronunciasse verba absolutionis, iuxta formam papisticam. Recolat Bellarminus quod in eodem capite scripsit, multa Apostolos fecisse quæ scripta non sunt. Fallitur Bellarminus dum absolutionem prætoriam suis sacertibus tribuit: hanc absolutionem abunde antea refutaui, proinde venio ad responsionem ad secundã argumenti partẽ. Christum

ſtum inquit & Paralytico, & fœminæ peccatrici peccata remiſiſſe legimus, ſed eòs peccata confeſſos nequaquam legimus. Reſpondeo: Hic velim eum meminiſſe quid ſcribit cap. 15. *viz.* nonnullos Catholicos ſentire, integrum ſacramentum in ſola abſolutione conſiſtere. hinc concludo, Chriſtus abſolvebat, ergo integrũ ſacramentum pœnitentiæ miniſtravit ſecundùm quoſdam Papiſtas. Secundò reſpondeo, ipſum Bellarminum proprium ſuſtuliſſe argumentum cap. 17. vbi in reſponſione ad quoddam Durandi argumentum, dicit ſine ſatisfactione ſacramentum eſſe poſſe, ſed mancum & mutilum: neque enim tres illæ partes eſſentiales, ſed integrales dicuntur; ſine aliqua autem parte integrali res quidem eſſe poteſt. ergo ſi ſacramentum eſſe poteſt ſine ſatisfactione, quid ni etiam ſine confeſſione auriculari, nam dum aſſerit confeſſionem eſſe principalem ſacramenti partem, petit principium. Tertiò reſpondeo, fœminam peccatricem reipſa agnoviſſe peccata, vtpote quæ lachrymis pedes Domini lavit, nonne ſatis apertis ſignis contritionem prodebat, & peccata confeſſa eſt? quid ſi mutus & elinguis adiret

facer-

sacerdotem, & signis proderet peccata, illumq; sacerdos absolveret, non hoc sacramentum esset? De locis *viz.* Act. 26. & 10. antea diximus, eadem repetere, non est instituti nostri. Addit Kemnitius, Apostoli nusquam leguntur exegisse enumerationem peccatorum ad remissionem necessariam, nec leguntur imposuisse mulctam quibus peccata remittebantur. Respondet Bellarminus. Quis ambigit, multa Apostolos & fecisse & docuisse quæ scripta non sunt? alioqui facile probabimus non esse homines baptizandos, in nomine patris, & filii, & Spiritus sancti, quia nusquam Apostoli hoc ritu baptizasse leguntur. Respondeo, in confesso est multa Apostolos fecisse & docuisse, quæ non sunt scripta, sed tamen ea omnia quæ ad salutem sunt necessaria scripta fuisse asserimus. Non per alios (inquit Irenæus) dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Euangelium pervenit ad nos, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderint fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. de Baptismo quod scribit Bellarminus ineptum est, nam satis esse debet nobis Christi verbum atque mandatum, lib. 3. cap. 1.

pro-

proferant illi, si possint tale mandatum pro enumeratione peccatorum. Reliqua minoris momenti taceo: vnum tamen tacere nequeo. Dicit Kemnitius, extra omnem dubitationem esse primam originem sacramenti pœnitentiæ à Catholicis excogitati, ductam esse ex spectaculis publicæ pœnitentiæ, quam magna severitate vetus Ecclesia in manifestis & atrocibus criminibus servabat: in illa enim requirebantur signa externa contritionis, exomologesis seu confessio criminum, & imponebantur certæ castigationes, tum exempli causa propter alios, tum verò explorationis gratia an seria esset Pœnitentia. Quærit hic Bellarminus vnde illam historiam de Pœnitentia Kemnitius hauserat. Respondeo, cum sacramentum pœnitentiæ non habeat fundamentum, nec in scripturis nec in patribus, nonne probabile est illud originem suam ex tali Ecclesiæ praxi sumpsisse? Iam vero sacramẽtum hoc non habuisse fundamentum nec in scripturis nec in patribus docuimus, sed sapientior factus Bellarminus vt videtur asserit publicam pœnitentiam sacramentum fuisse. ergo sacramentum tolli potest. Nam Nectarius abrogavit pœnitentiam publicam, abrogavit etiam confessionem

publicam fatente ipso Bellar. l. 3. de pœn. c. 14. num potest sacramentum tolli ab homine? hoc esset se efferre supra Deum qui sacramenta solus instituit. c. 11. Quærit Bellarminus an Sacramentum pœnitentiæ à sacramento Baptismi sit diversum, asseritque hæreticos (sic nos pro sua benevolentia erga orthodoxos appellat) velle baptizatos post baptismum, reconciliari per baptismum memoria non autẽ reipsa repetitum. Cum verẽ nihil potest Bellarminus afferre quod in nobis refellat, fingit aliquid saltem commodè. Nos baptismum à pœnitentia distinguimus, neq; sola memoria baptismi volumus peccata remitti, sed solo Christi domini nostri beneficio. Dicimus autem baptismum esse obsignationem fœderis quod agenti pœnitentiam, & fide apprehendenti promissionem semper ratũ est. Sanguis Christi, inquit Hieronymus, purgat nos ab omni peccato tam in confessione baptismatis, quam in clementia pœnitudinis. proinde non iubemus homines in pœnitentia niti meritis aut satisfactionibus suis, sed ipsius Christi meritis: volunt Catholici contritionem mereri remissionem peccatorum: hoc asserit Bellarminus esse mendacium lib. 2. cont. Per.

cap. 5.

cap. 5. lib. 1. de pœnit. liberabit Calvinum à mendacio ſupplementum Thomæ, & Bellarminum eiuſdem convincet, ſic etenim ſcribitur, quæſt. 1. art. 2. nihil eſt meritorium niſi actus virtutis, ſed contritio eſt actus virtutis, hinc apparet falſo necne propoſuerit Kemnitius ſtatum quæſtionis, dum ſic proponit, Vtrum peccatores poſt Baptiſmum quærentes reconciliationem cum Deo, abducendi ſunt à fide obedientiæ paſſionis & ſatisfactionis Chriſti, ad fiduciam propriæ actionis, contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis, ita vt iſtæ actiones accedente ad eas verbo abſolutionis ſunt ſacramentum, & cauſa efficiens remiſſionis peccatorum. Non (inquit Bellarminus) diſputant Catholici, peccatores abducendos eſſe à fide obedientiæ Chriſti, ad fiduciam actionis propriæ. quid ergo contenditis contritionem mereri remiſſionem peccatorum? tota ſpes Chriſtianorum eſt in morte domini ſui, mors eius meritum noſtrum, refugium noſtrum. Nunquam itaque mihi perſuadebitis, quin homines à fiducia paſſionis Chriſti abducitis, ad fiduciam actionis propriæ, cum merita ſtabilitis. Vt tandem mittam hanc de confuſione pœnitentiæ & Baptiſmi

tiſmi calumniam, dicimus Baptiſmum mortem Chriſti repreſentare, quæ non tantum valet ad ea peccata abluenda quæ præcedunt, ſed etiam quæ omni vita conſequuntur. Loquatur Auguſtinus de nuptiis & concucupiſentia: Eodem lavacro regenerationis (inquit ille) & verbo ſanctificationis, omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundantur atque ſanantur, non ſolum peccata quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non vt Baptiſma quoties peccatur toties repetatur, ſed quia ipſo quod ſemel datur fit vt non ſolum antea verum etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. cap. 15. diſputat de eſſentialibus pœnitentiæ partibus: mira eſt inter Catholicos hac de re diſſentio, conſulatur ipſe Bellarminus; vnam Kemnitii obiectionem numerabo. Inter ſcholaſticos inquit non conſtat hac de re, cum alii volunt materiam eſſe actionem ſacerdotis proferentis certis ritibus abſolutionem, alii peccata &c. Reſpondet Bellarminus Kemnitium eſſe ſemper ſui ſimilem id eſt mendacem & calumniatorem: æſtuas Bellarmine: nam

Gropperus teipſo confitente facit materiam huius ſacramenti actionem ſacerdotis certo ritu pronuntiantis abſolutionem. ergo diſſentiunt ſcholaſtici. Verba Gropperi ſubnectam. Elementum, inquit) ſeu externum & viſibile ſignum huius ſacramenti eſt ille corporis geſtus & actus, quo ſacerdos abſoluit confitentem, ſimilitudinem habens cum interiori abſolutione, qua Deus animum a peccatorum nexibus eximit: de verbis abſolutionis, quicquid dicit: Bellarminus idem Gropperus conſulatur: reperiet Lector diſſentionem etiam hac de re. Nunc Scoti vnum argumentum referam & defendam. Vult ille totam ſacramenti pœnitentiæ rationem in abſolutione conſiſtere, quia id ſacramentum eſt quod a miniſtro confertur, in ſacramento autem Pœnitentiæ ſola abſolutio a miniſtro confertur, non autem confeſſio vel contritio. Hinc concludat quiſpiam pœnitentiam omnino non eſſe Sacramentum. Nam ſacramenti adminiſtratio eſt opus miniſtri, at Pœnitentia eſt opus pœnitentis. Ergo. Certe inauditum eſt (vt mihi videtur) vt penitentia vel dicatur opus miniſtri, vel vt ſacramenta non ſint opera miniſtrorum. Reſpondet Bellarminus

larminus, miniſtrum ſacramenti propriè dici, qui vel totum vel potiſſimam ſacramenti partem conficit. In hoc argumento Bellarminus ſeipſum refellat. Cap. 17. ſic ſcribit, contritio & confeſſio ſunt principales Sacramenti partes integrales, ſine quibus eſſentia rei nullo modo, conſiſteret, nonne ille qui conficit duas principales partes rei author erit? ſit abſolutio, quoniam ita vult, præcipua pars, tamen & contritio & confeſſio ſunt ex Bellarmini ſententia principales integrales partes: vtar ipſius Bellarmini ſimilitudine, ſi ægrotus ipſe duas medicamenti partes conficeret, nonne ipſe ſibi ex parte mederetur? conficiat medicus alterum principalem partem, hoc tamen non impedit quo minus ægrotus ſit ſui ipſius ex parte medicus. Cap. 17. refellit Durandi ſententiam. Contendit ille ſolam confeſſionem eſſe materialem partem ſacramenti pœnitentiæ, contritionem autem eſſe diſpoſitionem, & ſatisfactionem fructum pœnitentiæ. opinionem ſuam Durandus probat, quia quælibet veri ſacramenti, pars debet eſſe ſenſibilis. Reſpondet Bellarminus Contritio autem non eſt ſenſibilis. Contritio vt in corde ſedem habet, non eſt pars pœnitentiæ, ſed vt per ſigna manife-

ſacramentum

festatur, hic si quispiam obiiceret, sæpe accidere vt contritio non alio signo quam ipsa peccatorum confessione prodatur, Respondet *B*ellarminus, in ista confessione includi signa doloris. Respondeo, iste dolor erit adiunctum confessionis non autem pars pœnitentiæ, exemplum *B*ellarmini hoc confirmato si quis fateatur peccata gloriando, hæc iactatio erit confessionis adiunctum, quid ni ergo è contrario, si quis dolendo fateatur, iste dolor erit adiunctum confessionis. Hactenus versati sumus in quorundam scholasticorum defensione, nunc nostrorum hominum opiniones propugnandæ sunto. Lutherani volunt terrores Conscientiæ & fidem esse partes pœnitentiæ, negat Calvinus, qui fidem priorem pœnitentia esse contendit; constituit ille mortificationem non terrores conscientiæ sed spoliationem veteris hominis & vivificationem, non fidem, sed pium vivendi studium : quomodo hi conciliandi sunt? Respondeo, discrepant isti doctissimi viri, non in doctrinæ substantia, sed in acceptione vocis pœnitentiæ: qui tres partes pœnitentiæ faciunt terrores a lege incussos, fidem, & novam vitam, ii latiore significatione vocem pœnitentiæ;

nitentiæ;qui verò duas, ii ſtrictiore ſignificatione accipiunt: eſt ergo iſta diſcrepantia in logica ſubtilitate poſita, non in theologica concertatione, pœnitentia ſi ita ſumatur vt comprehendat quicquid in pœnitente eſt, complectitur terrores,ſin verò ſtrictiùs ſumatur, terrores eam præcedunt, hanc Pœnitentiæ latiorem & ſtrictiorem acceptionem confirmat Paulus 2.ad Cor. cap.7.ver.10. dum aſſerit dolorem effeciſſe Pœnitentiam. Iam dolor ex ipſorum Papiſtarum ſententia eſt pars Pœnitentiæ, nec valet exceptio *Bellarmini*,qui per dolorem intelligi vult, verecundiam & moleſtiam æquo animo acceptam. Conatur probare hanc ſuam interpretationem, ex verbis Pauli qui in eodem capite dicit ſe gaudere, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad Pœnitentiam:fateor vocem triſtitiam primo loco poſitam non ſumi pro dolore de peccatis,tamen vox triſtitia ſecundo loco poſita ſignificat dolorem de peccatis. Author regularum contract. quæ ſub *Bazilii* nomine circumferuntur ſic locum explicat. Triſtitia ſecundum Deum eſt, quando quis propter mandatum Dei neglectum triſtatur, iuxta quod

ſcriptum eſt. Triſtitia obtinuit me propter peccatores derelinquentes legem tuam. Sæculi vero triſtitia eſt quando humani quicquam & ſæculo conveniens, mæſtitiam incutit: quis hanc Pœnitentiæ acceptionem expendat, facile omnes Bellarmini obiectiones diſſolvet: terreri eſt naturale, & in Dæmonibus inveniuntur terrores, ſed eiuſmodi terrores qui inducunt Chriſtianam reſcipiſcentiam non inveniuntur: fides quandoque coniungitur cum pœnitentia, at tunc pœnitentia ſtrictè ſumitur. In verbis Marci, verba poſteriora poſſunt ἐξηγητικῶς poni: ſimile eſt Actorum tertio 19. verſu μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε æquè hinc concludere poſſent converſionem non eſſe reſipiſcentiam, ac ex Marci loco concludi poteſt fidem non pertinere ad reſipiſcentiam: ſic Actorum 20 dicit Paulus ſe annunciaſſe reſipiſcentiam & fidem, coninguntur iſta, quia vox pœnitentia ibi ſtrictius ſumitur. Pœnitentia quandoque ipſam regenerationem ſignificat, iam regenitus etiam ab infidelitate, & reformandus eſt. Epheſ. 4. 19. & Rom. 12. verſ. 2. Poſtea refellit Calviniſtarum ſententiam de mortificatione & vivificatione, qui vel confundunt pœnitentiam

nitentiam cum Iuſtificatione vel poſteriorem Iuſtificatione eſſe volunt. Abſit *B*ellarmine vt *C*alvinus confunderet Pœnitentiam cum Iuſtificatione, quam in imputatione cum Paulo conſtituit: facit ille quidem Pœnitentiam poſteriorem Iuſtificatione natura, non tempore, nam fide iuſtificamur, deinde ſanctificamur, ſanctificatio *C*alvino eſt pœnitentia, hic recolat Lector, *C*alvinum in ſtrictiore ſignificatione ſumere vocem Pœnitentiam. At inquit *B*ellarminus ſcripturæ paſſim docent Pœnitentiam eſſe viam ad iuſtificationem Imo *B*ellarmine Scripturæ paſſim Pœnitentiam inculcant, ſed ea nos iuſtificari non dicunt, ſed *C*hriſti iuſtitia fide nobis imputata, & quicunque pœnitentiam agentes accipiunt remiſſionem peccatorum, ii fide eam accipiunt, docent Scripturæ nullos accipere remiſſionem Peccatorum niſi reſipiſcant: qualitatem perſonarum quæ peccatorum remiſſione donantur deſcribunt ſacræ ſcripturæ dum oſtendunt ſolos pœnitentes habere remiſſionem peccatorum. Vt rem verbo dicam, habent pœnitentes remiſſionem peccatorum, ſed fide eam apprehendunt; lugeant homines quantum volunt, confi-

teantur & ſatisfaciant: niſi tamen credant nunquam conſequentur remiſſionẽ peccatorum. Thomas 3. part. quæſt. 6. art. 1. reſp. ad ſec. motus humanæ voluntatis qui eſt in pœnitente non ſufficeret ad remiſſionem culpæ, niſi adeſſet fides paſſionis Chriſti. Addit Bellarminus Pœnitentia in Scripturis non dicitur niſi ab operibus mortuis, iuxta illud Heb. 6. non iacentes &c. Reſpondeo: Reſipiſcentia dicitur & pœnitentia & converſio ad Deum per ſynecdochen partis, illo quidem nomine à prima parte, hoc vero à poſteriore parte. Ipſe Bellarminus lib. 2. cap. 6. docet in contritione includi propoſitum recte viuendi, ergo pœnitentia non eſt tantum à malis operibus, ſed etiam habet propoſitum bene operandi. quod dicit Bellarminus pœnitentiam eſſe tantum peccatorum, velim oſtendat, quis ita iuſtus ſit vt peccata non habeat. Eſt, inquit Auguſtinus, pœnitentia bonorum, humilium & fidelium quotidiana pœna in qua pectora tundimus dicentes, dimitte nobis debita noſtra. Poſt enumeratas orthodoxorum opiniones de pœnitentiæ, partibus, recenſet partes iuxta catholicos: ſunt inquit tres partes, contritio, confeſ-

ſio,

sio,& satisfactio: & quum videt confessionem & satisfactionem esse effecta sive signa contritionis, dicit has esse partes quatenus ex parte pœnitentis ad remissionem peccatorum, in sacramento reconciliationis necessariæ sunt: longe aliter scribit Enchiridion Colonienſe. Ecclesiastici patres (inquit) veram pœnitentiam tribus partibus constare nobis tradiderunt, contritione, confessione, & satisfactione, loquimur autem de pœnitentia non quæ proprie sacramentum est, nam ea vti cætera sacramenta suo verbo, suo item elemento sacramentali tanquam partibus essentialibus constat, sed de pœnitentia loquimur quæ totam hominis conversionem seu renovationem complectitur. Vnde apparet authorem illius Enchiridii, velle has esse partes pœnitentiæ, quatenus totam hominis conversionem complectitur, non quatenus est sacramentum. Congerit Bellarminus multa scripturæ testimonia, vt probet hæc tria in pœnitentia requiri: verùm ea omnia aliena sunt, nam efferuntur ista ante sacramenti institutionem. Opera laboriosa à pœnitentia non seiũgimus sed negamus his operibus iustitiæ Dei satisfieri: sunt vti ex

Basi-

Basilio docui hæc opera veluti ieiunium & fletus & planctus signa pœnitentiæ. Ex Daniele profert locum haud recte versum, peccata tua eleemosynis redime, cum transferendus locus sit, abrumpe peccata tua iustitia: certe iste Rex satisfacere Deo non potuit, quia in statu gratiæ non fuit, status gratiæ ex papistarum sententia requiritur ad satisfactionem. Hinc solvi potest argumentum ex Achabi exemplo desumptum, quo statuminare volunt Pontificii satisfactiones. Ille nunquã Deo fuit reconciliatus. remittit ergo Deus vel differt pœnas vt in Achabo, non ex merito, nec ex rigore Iustitiæ sed ex misericordia. Axioma dialecticum est, posito adiuncto ponitur subiectum per consequens non per causam, Idem ego dicere possem posito ieiunio ponitur liberatio quandoque à malis per consequens, non tanquam per causam. Vt rem clarius, ostendam, in rebus naturalibus dispositio ad formam precedit, sequitur forma subiecto recte disposito, hinc concludetur meritum? optime Aquinas 1. parte, quæst. 21. art. 1. resp. ad 2. Iustitia in Deo quandoque dicitur condecentia suæ bonitatis.

Idem

Idem docet art 4. vbi contendit in omnibus operibus Dei esse iustitiam, quia scilicet quicquid in rebus facit Deus, secundum convenientem ordinem & proportionem facit, in quo consistit ratio Iustitiæ. Hinc planum est, ipsam Iustitiam non semper præsupponere merita. Testimonia etiam ex patribus profert pro his partibus, sed ludit operam, nam nos nec confessionem, nec contritionem, nec satisfactionem tollimus sensu prædicto. Patres etiam loquuntur de satisfactione Ecclesiæ. Post authoritates subnectit rationes. Pœnitentia, inquit, non est quælibet peccati detestatio ac punitio, sed detestatio ac punitio peccati vt est offensio divinæ maiestatis, & vt ad peccatum tollendum, & amicitiam cum Deo resarciendam ordinatur: hinc Act. 20. vocatur pœnitentia in Deum: & Actorum 26. coniungitur cum conuersione ad Deum. O oblivioſum & blaſphemum Iesuitam! ante dixerat locum Act. 26. non intelligendum esse de sacramento pœnitentiæ, sed de virute sacramenti, alioqui nihil concludit. Mitto oblivionem, venio ad blaſphemiam. Quis tibi Bellarmine concedet per pœnitentiam

tentiam tolli peccatum & amicitiam reſarciri: hoc proprium eſt ſanguinis Chriſti. Rom. 5. cap. verſ. 10. ſcribitur. nam ſi cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius. lege 3. cap. ad Rom. verſ. 25. & Epheſ. 1. verſ. 7. 1. Pet. 2. & Galat. 3. Recte Gloſſa in Gra. in cap. 1. de pœnitent. dum inquit, quòd nec cordis contritione, nec oris confeſſione peccata remittuntur, ſed tantum gratia Dei: ſed ipſa cordis contritio ſignum eſt peccata eſſe dimiſſa, ſicut exterior ſatisfactio cordis contritionis: gratia enim præcedit contritionem. Secundo argumentatur Bellarminus à natura; quod liberi cum parentibus, ſervi cum dominis, vxores cum maritis in gratiam redeunt & ſigna doloris oſtendunt & peccatum fatentur, & ſe caſtigationi ſubiiciunt, aut certè indulgentiam petunt: docent autem ſacræ literæ Deum erga homines & patris & dòmini & ſponſi locum tenere. Reſpondeo, etſi non ſit neceſſe per omnia ſimilitudines convenire, hinc tamen conſtat ſatisfactionem tolli, nam indulgentia nobis petenda eſt. Deus pater noſter eſt in Chriſto

ſto qui perfectam obedientiam præſtitit. Deus eſt magis miſericors quam aliquis homo, inquit Thomas in ſupplemento, quæſt. 13. art. 5. ſed homini eſt poſſibile ſatisfacere ergo & Deo. Imo Thoma ſi vſquam lucere debet ſumma Dei miſericordia, lucebit certe in peccatis hominum remittendis. Ratio vltima ex congruentia. convenit Sophiſtis, tria ſunt inſtrumenta peccandi, cor, lingua, manus, ergo tres ſunt ſacramenti pœnitentiæ partes: hoc argumentum recitaſſe eſt confutaſſe, ſed ne glorietur Bellarminus ad hoc argumentum non eſſe reſponſum, reſpondemus breviter: peccatum quandoque ſolo corde committi, & tamen quis dubitat illud Deo confitendum eſſe? ſecundo quæro an ſola manus debet ſatisfacere. quod ſi dixerit corpus debet luere pœnas, nonne lingua pars corporis eſt? addo hoc etiam, ſi rationes Bellarmini aliquid valerent pro tribus partribus ſacramenti, concluderent etiam pœnitentiam fuiſſe ſacramentum veteris teſtamenti: nam non negabit quin Deus in veteri teſtamento reconciliandus erat, non negabit quin pater fuit, denique non negabit, quin cor, lingua, manus fuerunt inſtrumenta peccandi, etiam

tiam ante Christi incarnationem. Sed venia danda est his sive ex imperitia, sive ex malitia peccantibus, mala causa meliora argumenta præstare non potest. Supersunt Calvini argumenta defendenda pro duabus pœnitentiæ partibus. Probat Calvinus duas esse pœnitentiæ partes, ex illis scripturæ locis, quiescite agere perversè, discite benè facere. item declina à malo & fac bonum. Respondet Bellarminus locum Esaiæ manifestè Calvini sententiæ repugnare, quia Esaias non constituit pœnitentiam posteriorem iustificatione, sed causam esse iustificationis dicit. Respondeo, primò, de ordine respondet aliquid Bellarminus, de partibus nihil. ergo fatetur argumentum Calvini esse immotum. Esaias hortatur homines ad pœnitentiam, in pœnitentia autem requirit duo, vt homines quiescant malè agere, & discant bene facere: quod hic non solidum? nunc respondeo ad ordinem, de quo anteà etiã nonnulla dixi, rectè facit Calvinus remissionẽ peccatorũ priorem mortificatione & vivificatione; nam optime Theodulus in 3. cap. ad Rom. simul ac quispiam credidit & iustificatus est, ratio hoc docet, nam hoc ipso quod incipimus esse filii Dei, incipimus

mus habere ius ad hæreditatem fœlicitaris æternę, nam si filii, & hæredes inquit Apostolus ad Rom. 8. & ad Galat. 4. quod si filius & hœres per Deum: incipimus autem esse filii Dei antequam incipimus bene operari: nam non vivunt homines rectè, nisi priùs filii Dei efficiantur: at efficiuntur filii Dei per fidem. 1. Ioh. Iam si Bellarminus mordicus adhœreat ordini verborum, videbit promissionem remissionis peccatorum post bona opera poni: sic Ezech. 18. remissio peccatorum sequitur post hæc verba, & custodierit omnia præcepta mea. Certe omnia mandata Dei custodiri non possunt, neque tamen expectanda est remissio ad longum tempus, cum Idem propheta cap. 33 dicat quacunque die peccator conversus fuerit, indulgentiam habiturum. Vt autem manifestiùs Calvini argumenti vires cernantur, Bellar. lib. 2. cap. 6. probat ex hoc Esaiæ loco in contritione includi propositum bene vivendi: quod si propositum bene vivendi includatur, constat pœnitentiam duos habere actus detestationem peccati & pium vivendi studium. Sic ipse Bellarminus Calvini argumentum stabilit. Ad secundum locum respondet Bellarminus, ibi nu-

numerantur partes Iustitiæ non pœnitentiæ: nam pœnitentia ad peccatores tantum pertinet iuxta illud Lucæ, non veni vocare Iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Luc. 5. at declinare à malo, & facere bonum peccatorum est proprium: itaque perperam confundit Calvinus pœnitentiam cum Iustitia. Respondeo Thomas 22. quæst. 79. art. 1. hac de re sic loquitur, Si loquamur de bono & malo in communi, facere bonum & vitare malum pertinet ad omnem virtutem, & secundum hoc non possunt poni partes Iustitiæ, nisi forte iustitia accipiatur prout est omnis virtus. Hic Thomas tibi adversatur: sed respondeo. Idem actus, vt tu ipse fateris, lib. 2. cap. 7. potest esse & charitatis & pœnitentiæ, quid ni etiam & iustitiæ diverso respectu? Thomas ibidem docet facere bonum, & declinare malum diverso respectu pertinere ad diversas virtutes. Insuper non negatur opinor in pœnitentia chorum virtutum coniungi. Denique pœnitentia constituitur pars Iustitiæ à papistis. Ad Lucæ locum respondeo neminẽ ita iustum esse vt pœnitentia non indigeat, imo Bellarmini ex hoc Lucæ loco cernitur versionis latinæ corruptio: ad

Math.

Math. 9. vers. 13. deest hæc sententia ad pœnitentiam: pulcherrimam itaque sententiam latina vestra editio corrupit. Secundo obiicit Calvinus definitiones Pœnitentiæ quæ apud Lombardum extant, vt evertat Papistarum partes. vz. contritionem, confessionem, & satisfactionem: hæ leguntur apud magistrum Pœnitentiæ definitiones, anteacta peccata flere, & flenda non committere. Item mala præterito plangere, & plangenda non committere. Item vindicta quædam puniens in se quod dolet commississe. Potest homo hæc præstare, nec tamen confiteri peccata, & Deo propiisdem, satisfacere. Respondet *B*ellarminus alio atque alio modo sumitur pœnitentia in definitione prima & secunda, pœnitentia accipitur pro contritione, in partitione autem vox pœnitentia, sumitur pro actione integrâ pœnitentis, quæ materialis pars dicitur sacramenti. Respondeo Bellarminus cap. 19. Lutheranorum distributionem pœnitentiæ ex his definitionibus refellebat, ergo quid ni etiam valeant contra illius distributionem? Ibidem profert hæc verba ex Ambros. in præf. in 37. Psa. plena est definitio pœnitentiæ, commeoratio delictorum, vt vnusquisque peccata sua velut quodam quotidia-

ni sermonis castiget flagello,& commissa sibi flagitia condemnet. Si plena est ista definitio quid de partibus Bellarmini fiet? Secundò respondeo Gropperum aliter sensisse: verba eius antea relata fuere. Tertiò respondeo. Petit Bellarminus Principium dum asserit pœnitentiam esse sacramentum. Vltimò hoc obseruandum est, has definitiones proferri a Lombardo in re sacramenti pœnitentiæ: ibi enim disserit de sacramento pœnitentiæ. Profcrat si potest Bellarminus, alias definitiones pœnitentiæ a patribus datas, & tum forsitan aliquid aget, sin autem nullas alias proferre potest, illius responsionem nihili æstimabunt cordati & sapientes viri. Kemnitius probat duas esse pœnitentiæ partes ex lege & Euangelio, nam de scripturis antea dixi: lex divina minas intentat peccatoribus: Euangelium consolatur. Respondet Bellarminus inde non sequitur, terrores & fidem esse partes pœnitentiæ, siquidem incussi illi terrores a minis legis pœnitentiã gignũt, proinde causa sunt, non pars pœnitentiæ. Respondeo non disputat subtiliter de illa Bellarmini propositione an terrores gignunt pœnitentiam; gratia Dei procreat pœnitentiam, terrores forsitan gignunt desperationem; sed scien-

dum

dum est Kemnitium latiore significatione sumere vocem pœnitentiæ, vt Lucæ 24. oportet prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo: hic necesse est pœnitentiam comprehendere fidē: nam nulla peccatorū remissio sine fide homini contingit terrores & consolatio in conversione peccatorum locum habent, quod non negat Bellar. Rem simili philosophico ostendam: humores in corpore nonnullis partes sunt, quia continentur in corpore, alias non sunt vide Fer. lib. 2. cap. 2. & Scaligerum exercit: 280. De secundo Kemnitii argumento supra dictum est. Obiicit tertiò Kemnitius: Hypocritæ partes pœnitentiæ quas enumerant pontificii præstare possūt, & tamen illis tribuunt remissionem peccatorum. Respondet *Bellarminus* hoc argumentum si quid valeret, etiam *Baptismum* & Eucharistiam everteret: nam hypocritæ Baptismum & Eucharistiam sumere possunt. Resp. Hypocritæ laici accipiunt baptismum & eucharistiam à ministro, at in pœnitentia secus est: nam ipsi hypocritæ has partes, vel saltem præcipuas præstant: iam vt mihi videtur absurdum est, vt hypocritæ veræ pœnitentiæ præcipuas partes præstarent: doceat *Bellarminus* ex

scriptura si potest, hypocritas veræ pœnitentiæ partes præstare. Quartò obiicit Kemnitius Iudas fide speciali destitutus, cum partes pœnitentiæ Pontificiæ haberet, contritionem scilicet confessionem & satisfactionem, tamen laqueo seipsum suspendit. Respondet Bellarminus falsum est Iudam habuisse tres pœnitentiæ partes, quas Catholici in Sacramento pœnitentiæ enumerant: non habuit contritionem, desperavit, nec confessionem, quia non enumeravit singula crimina, nec satisfactionem habuit à sacerdote iniunctã. Respondeo, hæ sunt accidentariæ differentiæ quas commemorat Bellarminus, quod ad substantiam attinet, habuit contritionem, confessionem, & satisfactionẽ. Fassus est ille suum peccatum, atque argentum restituit, & vehementer doluit, at inquit Bellarminus Ninivitæ non habuerunt illam specialem fidem, cum dicebant, quis scit si convertatur & ignoscat Deus? Respondeo, an Ninivitarum resipiscentia legalis tantum fuit, an etiam Euangelica dubitant docti, verba à Bellarmino prolata non probant dubitari debere an Deus sit illis condonaturus qui resipuerunt animumq́; vindicandi depositurus: certè clementia & facilitas ad ignoscendum

resi-

resipiscentibus Dei propria est, sed ostendunt non semper remitti pœnam castigationis, quæ correctio quædam est partim ad humiliandum peccatorem, partim autem adhibetur in commune aliorum exemplum. vide 2. Sam. 12. & 22. c. Quinta obiectio Kemnitii expedita est. Sextam tanquam rem minoris momenti taceo, atque sic primum Bellarmini librum absolvi. Nunc progrediar σὺν θεῷ ad secundum de contritione librum: vtar autem ea brevitate qua hic vsus sum: prolixitatem non amo. Ex meipso coniecturam faciens existimo alios brevitate delectari, multitudine verborum non sopiuntur lites, quandoque excitantur, sopiri lites cupio, non moveri. Det Deus vt piè lugeamus peccata nostra: hoc si fecerimus sciemus naturam contritionis. De Contritione videntur Kemnitius & Calvinus sentire contraria, ille vult eam esse fugam Dei & fremitum adversus Deum, & oriri ex lege, hic vult eam oriri ex Euangelio; sed facile conciliari possunt hæ opiniones. Nam contritio duplex est, vna non salutaris, quæ est aditus ad desperationem vt in Caino, Saule, & hæc ni fallor à scholasticis dicitur attritio: Altera est salutaris & tristitia

secundum Deum appellatur. Illa est coacta: nam vtcunque asserit Bellarminus supplicia non esse præsentia & visibilia: sed futura & invisibilia, & applicare animum ad ea vel ab eis eundem animum avocare in nostra potestate esse, tamen impii attriti aliter sentiunt, illi supplicia vt præsentia apprehendunt, & iusto dei iudicio non possunt non vereri, dum menti obiicitur peccatum proprium, & simul ira Dei in peccatores, & supplicia æterna peccatoribus præparata: omne quod fit dum fit necessario fit: cum ergo iusto Dei iudicio evenit vt improbi & reprobi deum illis iratum apprehendant, fieri nequit quin atterantur. Nec movet obiectum Bellarmini, quærit ille quo pacto contritio ista tam mala esse potest, si sit opus dei, num deus in nobis id efficit, vt eum fugiamus & contra eum fremamus, vt in desperationem & exitium sempiternũ ruamus? Respondeo, eis iusta pœnã à Deo est, ergo ista attritio quæ reprobis pœna est à deo vindicante reproborum peccata: provenit, In Electis ista legalis contritio est, σκευὴ præparatio ad pœnitentiam; sed hoc meræ dei beneficentiæ est tribuendũ. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 4. sic scribit:

timor

timor seruilis exparte formalitatis est malus: est altera contritio salutaris, quam ad Euangelium pertinere fatetur Calvinus. In piis nascitur ista contritio ex offensione dei, quam seriò agnoscunt & deplorant, ac est coniuncta cum odio & detestatione peccati admissi, & cum fuga seu aversione à peccato præsenti & futuro: ex hac distinctione solvuntur omnes Bellarmini obiectiones in primo capite positæ.

Nunc media describam quibus pii perducantur ad salutarem istam contritionē. Qui dolere de suis peccatis desiderant, in primis meditentur passionem Christi, in eamque oculos suos defigant. Effundam, inquit Dominus apud Zachariam, super domum Davidis & super habitatores Ierosolymæ, spiritum gratiæ & deprecationum, respicientque ad me quem transfixerunt, & amarè plangent de eo, vt amarè quis plangit de primogenito. Quis tam ferreo & adamantino pectore est, vt non conteratur meditatione vulnerum Christi? ille passus est vt te filium Dei faceret, & non tu patieris cor tuum conteri vt filius dei esse possis? ille turbatus grumos sanguinis in terram diffluentes emisit, ille cap. 12. v. 10.

flagellatus & spinis coronatus illuditur, conspuitur, cruci adiudicatur, crucifigitur, imo verisimile est transfixũ fuisse pericardium, quia fluebat aqua cum sanguine: ista nunquam tu recolis, nunquam tu meditaris aut cogitas, potesne à lachrymis temperare? Adamas hyrcino sanguine rumpitur, & adamantinum nostrum pectus non rumpetur sanguine Christi? visus auget dolorem: vide ergo tu oculis mentis passionem Christi, & nisi ingratus eris, sint genæ tuæ tristi imbre madidæ supplicia nostra nos tangunt & angunt, supplicia Christi ne tantillum movent. Sed scriptorem non concionatorem iam agò secundum medium quo homines ad verum dolorem pro peccatis suis duci possunt, est meditatio divinorum beneficiorum quæ certè innumera sunt. Amicus qui læsit amicum à quo multis beneficiis donatus fuit, quanto corripitur dolore? quoties offensam cogitat? filius qui patris imperium minuit, quanto conficitur mœrore, cum recolit patris merita in eum collata? Deus noster pater est, à quo quod sumus, quod habeemus, quod homines existimemur, id omne ab eo habemus. Beneficia amorem conciliant, amor dolorem parit,

si

si eum offendas quem amas. Leonum ora à magistris impunè tractantur: Elephantes in servile obsequium demeretur cibus; & nonne Dei beneficia nos in obsequium trahent? cupit certe omnis dilectio redamari.

Tertium medium quo homines ducuntur ad luctum peccatorum, est exemplum sanctorum, si homines serio expenderent, Davidis, Mariæ, & aliorum piorum lachrymas nonne meritissime extimularentur ad luctum? longum est iter per præcepta, breve per exempla: opus certe erit aliquo, ad quem mores nostri se exigant Num meliores. Davide nosmetipsos iudicemus? ille lachrymis lectum rigavit, nos lachrymis ora nostra non rigabimus? vnane falsa lachrymula omnia peccata nostra extinguet? pectora tantis obsessa malis non sunt ictu ferienda levi. Vno planctu tria regna sonent, sed digitum tantùm ad res intendam non in ersdem immorabor.

Quartum medium quo homines ad contritionem trahantur est consideratio turpitudinis peccati: nullius cadaveris fœditas maior quam humani, hoc arguit nos fœdos esse in conspectu Dei ob peccatum.

catum. Attamen quemadmodum Panthera sic avida est excrementorum hominis, vt si in vasa suspendantur altiùs quam vt possit attingere enecet sese defatigati porrectu corporis: ita quod nonnullis est fœdissimum id aliis dulcissimum est. Si Rex quispiam Barbarorum servus fiat, omnium est miserimus: sic qui in peccato vivit; barbarum namque peccatum est. Si formosus vxorem deformem duceret, solent pleriq; eam commiserari: homines se peccato coniungunt, nec tamen suam miseriam deplorant. Insuper coniunge cum fœditate & turpitudine peccati, hominis dignitatem, & quis non doleret eum qui, quasi quidam Deus in tertis factus fuit, tam turpiter peccato deformari? quidam ita molles & teneri sunt, vt dolorem ferre non possint, sed illis meditandum est, contritionem pro peccatis esse tanquam medicorum γλυκύπικρον non somnus dulcis, non cibus securus esse potest donec luxerimus peccata nostra: ista dilatare & amplificare non placuit, quia brevitati studeo. Redeo ad Bellarminum qui tertio capite probat contritionem sine speciali Dei auxilio haberi non posse: quē ista feriunt? ipsos scholasticos, non Protestantes.

teſtantes. Vtcunque excuſare Scotum conatur Bellarminus, loquatur ipſe. Scotus lib. 2. ſentent. diſtinct. 28. Exiſtenti, inquit, in peccato mortali poſſibile eſt ipſum præparare & diſponere ſe ad gratiam qua data poteſt ſervare præceptum. Bellar. l. 5. de grat. cap. 4. Facetur Scotū forſitā diſputaſſe pro libero arbitrio liberiùs quàm par eſt. Imo ipſe Bellarminus ſtatuit hominē nondum reconciliatum poſſe per opera pœnitentiæ impetrare iuſtificationem: quanto facilius ſe poteſt ad gratiam & reconciliationem præparare? Pelagianos damnant externa ſpecie, ſed revera in eodem luto cum illis hærent, vt alibi docui. Cap. 4. probat Bellarminus in contritione includi odium ac deteſtationem peccati: agnoſcunt orthodoxi. Sexto cap. probat in contritione includi propoſitum rectè viuendi contra Catholicos, tanta eſt inter illos opinionum varietas, vt vbiq; refellat ipſos Papiſtas, nec pene plura capita poſuit in refutatione orthodoxorum quàm ipſorum Papiſtarum, niſi quod nonnulla orthodoxis affingit. Capite 8. probat contritionem ad iuſtificationem omnino eſſe neceſſariam. *Reſp.* Contritionem nos requirimus in omnibus iuſtificatis, non tanquam

lib. 5. de Iuſtif. cap. 22

quam causam Iustificationis sed tanquam comitem. Extra controversiam apud nos est, neminem adultum posse reconciliari & remissionem peccatorum consequi nisi agat pœnitentiam: rem declarabo Bellarmini positionibus: tenet ille lib. 2. de Iustificat. cap. 15. contra ipsos Papistas: Iustitiam qua formaliter iusti sunt homines habitualem esse non actualem; & tamen opinor non asserit actualē ab habituali seiungi posse: Est inquit Augustinus inseparabilis bona vita ab ea fide quæ per dilectionem operatur. Thomas 1. 2. quæst. 65. art. 1. docet virtutes morales esse ad invicem connexas. Ambrosius super Lucam dicit quod connexæ sibi sunt concatenatæque virtutes, vt qui vnam habeat plures habere videatur. Augustinus etiam dicit in 6. lib de trinit; quòd virtutes quæ sunt in animo humano nullo modo separantur: & Gregorius dicit 22. moral. quod vna virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta est. & Tullius dicit 2. Tuscul. si virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum. Ex hisce testimoniis clarum est multa coiunngi per connexionem quandum quæ tamen non se invicem efficiunt,

efficiunt: coniungitur contritio cum Iustificatione tanquam necessarium adiunctum vel effectum, nec tamen Iustificationem procreat: posito priore ponitur posterius per necessariam consequentiam. Locus (inquit) Scaligerus est corpore posterior, ergo esse potest sine illo; hoc vero iam verum non est: nam etsi quod non includitur in definitione potest abesse à definito in definitione non tamen omnino abesse potest ab ipsa re definita propria enim quæ vocantur in definitione non ponuntur, à re tamen abesse nequeunt cuius sunt propria. His expeditis agamus de quantitate contritionis, hic inquit Bellarmidus mire triumphant atque exultant adversarii: existimant enim se locum reperisse ex quo doctrinam Catholicorum de pœnitentia cum plausu vulgi reprehendant, vt quæ ad desperationem sternat viam, vel certe plane dubios atque incertos de sua Iustificatione homines reddat. Et quid ni triumphent orthodoxi cum exigitis ad Iustificationem contritionem charitate perfectam, ad quam nullus sanctorum in hac vita pervenire potest? scribit etenim Thomas in supplemẽt. quæst. 7. art. 2. Contritione posse totaliter

tolli

tolli reatum pœnæ, verum quia aliquis non potest esse certus quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem pœnæ & culpæ, ideo tenetur confiteri & satisfacere. O partibulum conscientiarum: si nequit penitus esse certus de sufficientia contritionis, quomodo certus esse potest de sufficientia confessionis & satisfactionis? dicent fortasse Papistæ Sacerdos respiscentes certos reddet: itane, cum scientiam discernendi non habeant omnes sacerdotes vt fatetur Lombardus? porro confessio & satisfactio nihili sunt, nisi sincera & salutaris sit contritio; potestne autem sacerdos corda hominum melius scire quàm ipsi homines? ne plura dicam, constat ex hoc testimonio, papistas velle remissionem peccatorum pendere ex sufficientia contritionis quam nemo piorum assequi potest. Sed hoc crimen retorquet Bellarminus in ipsos orthodoxos, si quidem illi requirunt contritionem seriam & vehementem: equidem inquit Calvinus sedulo & acriter instandum esse fateor vt quisque amarè deflendo peccata sua, se ad eorum displicentiam & odium magis acuat. Quæ autem sit vera contritio inquit Bellarminus, sine qua peccata non remit-

mittuntur, non possimus aliunde melius ac tutius discere, quam ex sacris literis: porro sacræ literæ vbique requirunt contritionem ex toto corde, qualis etiam est vera Dei dilectio ex qua contritio vera procedit. Convertimini ad me (inquit Propheta) toto corde: sic igitur disputat *B*ellarminus. Qui contendunt dilectionem Dei perfectam in hac vita esse impossibilem, ii homines ad desperationem adigunt, at orthodoxi contendunt dilectionem Dei perfectã esse impossibilem, ergo homines ad desperationem adigunt. Propositio probatur, quia contendunt peccata remitti non posse sine vera contritione quæ impossibilis est: vera enim contritio provenit à charitate perfecta quæ impossibilis est. Respondeo, propositio falsissima est: nam dilectio Dei perfecta impossibilis est in hac vita nec tamen homines ex Protestantium sententia adiguntur ad desperationem, quia docent Orthodoxi homines confugere debere ad merita Christi: Christus pro piis legem implevit.

3 Audi Bellarmine Bernardum. Deus mandãdo impossibilia, non prævaricatores homines fecit sed humiles, vt omne os obstruatur, accipientes quippe mandatum,

&

& sentientes defectum clamabimus in Cœlum & miseribitur nostri. Quid clarius? Bernardo succinit Augustinus. In mandatis inquit est quod iubemur orare remitte nobis debita nostra: omnia ergo mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur. Hieronimus ad Ctesiphontem sic loquitur, facilia dicis esse Dei mandata & tamen nullum proferre potes, qui vniuersa compleverit: ad probationem dico veram contritionem cum perfecta non esse confundendam: exigunt Protestantes veram contritionem, vtcunque charitas in hac vita non sit perfecta. Veritas opponitur Hypocrisi. Hierem. 3. vers. 10. sic scribitur. Nec tamen toto hoc: reversa est ad me perfida soror illius Iehuda ex toto animo sed falso dictum Iehovæ: verba hæc ostendunt conversionem piorum dici ex toto corde esse, si modo sincera sit. Iam vero charitas quam præcipit Deus in mandatis, non est tantum sincera sed etiam perfecta. Aqui. 2. 2. docet præceptum de de dilectione Dei non posse impleri in hac vita, Augustinus inquit in libro de perfectione iustitiæ quòd in plenitudine charitatis patriæ præceptum illud implebitur,

bitur, diliges Dominum Deum tuum &c. nam cum aliquid adhuc est carnalis concupiscentiæ, quod frœnetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus. Hinc apparet quàm absurde scribit Bellarminus cap. 11. *viz.* loca illa quæ dilectionem ex toto corde præcipiunt, non exigere summam dilectionem intensive, sed solum appretiative.

Victor Anti. in 12. Marci. Homo tanto Dei amore flagrare debet, vt nihil prorsus in vllam omnino animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat aut diminuat, aut aliis transferat.

In eodem cap. ponit Bellarminus hanc primam propositionem, non requiritur ad ad eam contritionem quæ sit futura sufficiens ad remissionem peccatorum, vt æqualis sit magnitudini iræ divinæ. Hæc propositio; inquit est contra Calvinum, qui scribere ausus est eam perfectam contritionem a Catholicis exigi, vt in trutina appendatur cum fiducia veniæ. Videamus quomodo probat non exigi a Catholicis tantam contritionem; quia negant (inquit) omnes contritione nos mereri Iustificationem ex condigno, aliqui etiam negant ex

congruo. Itane Bellarmine? sic loquitur supplementum Thomæ, nihil est meritorium nisi actus virtutis, sed contritio est quiddam meritorium, ergo est actus virtutis. Idem. Thomas 22. quæst. 23. ar. 7. probat nullam sine charitate esse veram virtutem: & in supplemento. quæst. 14. art. 4. tenet opera extra charitatem facta, non esse alicuius boni meritoria. Vt rem concludam, in supple. quæst. 7. art. 2. ad tertiam hæc verba habet, Dolor contritionis quamvis sit finitus quantum ad intensionem, habet tamen infinitam virtutem ex charitate quæ informatur. Hinc concludo. Opera ex charitate facta iuxta Papistas merentur ex condigno: contritio est opus ex charitate factum: ergo meretur ex condigno, & per consequens debet esse infinita. Taceo hic ineptam doctoris opinionem de infinita virture charitatis: Postea probat Bellarminus ex Scriptura hominem non posse Deo offere pretium infinitum: sed hæc disputatio Calvinum non lædit sed ipsos scholasticos. Tandem vult dolorem de peccatis summum esse, debere appretiativè. Optant pii inquit vt magis doleant de peccatis. Ego certe hoc perinde esse existimo ac si diceret, satis est

si

si sciamus peccata nostra intensissimo dolore digna esse. An ita sit expendant docti. Tandem ponit propositionem contrà quosdam qui veram contritionem esse negant nisi ipsa contritio ad certum quendum intensionis gradum perveniat,& certo spatio temporis duret: sed hæc propositio testimonium est victoriæ Calvini: nam ipsos Papistas quatenus coniectura assequi possum spectat: vt sententiam meam explicem, papistæ merita stabilire cupientes, & videntes neminem mereri posse nisi iustum & æquum pretium reddiderit Deo, excogitarunt istam opinionem de gradibus intensionis contritionis: sententiam meam, quam piorum omnium iudicio subiicio, verbis Augustini describam. Non longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum sinceritatis pœnitentis pensat: qui enim in Christum tota mente confidit, etiamsi multis commoriatur peccatis, fides sua vivet in æternum, sicut ipse Dominus in Euangelio dicit. Ego sum resurrectio & vita,qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit,vivet,& omnis qui vivit & credit in me non morietur in æternum. De morte animæ dixit, quæ per peccatorum ægritu-

dines eveniet illi. Deus in natura misericors est, paratus est saluare per misericordiam quos non invenit salvare per iustitiam: qui vult omnes homines salvari & neminem perire: qui per prophetam ait, in quacunque die conversus fuerit peccator vita vivet & non morietur, quamvis quisque sit peccator & impius, si ad pœnitentiam convertitur, consequi per misericordiam veniam non dubitet: in hoc sæculo pœnitentiam facientibus Dei misericordia subvenit, in futuro autem pœnitentia non proficit, sed rationem nostrorum operum reddituri sumus. In hac vita tantùm pœnitentiæ patet libertas, post mortem nulla correctionis est licentia: Hæc Augstinus: adfectamus ergo sinceritatem doloris, ne fidamus operibus nostris. Orthodoxi solis meritis Christi nituntur: proinde istos gradus intentissimos doloris in penitentia non docuere, vtcunque verum & sincerum luctum exigunt: fleamus amare cum Petro & reliquis sanctis, sed reiuremus merita. Capite 12. probat Bellarminus contritionem esse causam remissionis peccatorũ: primum recenset scholasticos litigãtes de merito contritionis, sic autem incipit adversus Protestantes: habemus diuinas li-

teras

teras. ad quarum apertiſſimà teſtimonia, nullam adhuc legi adverſariorum reſpõſionem. Ezech. cap. 18. Cum avertet ſe impius ab impietate, ipſe animam ſuam viuificabit. Quid clarius, an viuificare animam ſuam non eſt aliquid facere ad propriam iuſtificationem? in eodem capite facite inquit vobis Cor novum & ſpiritum novum: quomodo autem faciat homo ſibi cor novum & Spiritum novum paulò ante Propheta explicat dicens, convertimini & agite pœnitentiam; quod ſi dum convertimur & pœnitentiam agimus facimus nobis cor novum & Spiritum novum, quis inficiari poteſt conuerſionem ac pœnitentiam cauſam eſſe iuſtificationis? Reſpondeo, teſtimonia hæc evincunt omnes qui habent remiſſionem peccatorum pœnitentiam agere, ſed Bellarmini concluſio inde non infertur: nam in pœnitentia præſupponitur fides, qua apprehenditur remiſſio peccatorum. Rom. 9. 31. non quicquid coniungitur cum iuſtificatione cauſa eſt remiſſionis peccatorum. Opera ſequuntur iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum, inquit Auguſtinus: opera requiruntur in iuſtificatis

non tamen illa formaliter iuſtificare tenet ipſe Bellarminus. Iam verò quod ad loquutiones illas attinet quæ tribuunt hominibus conuerſionem, reſpondeo cum Auguſtino in lib. de grat. & libero arbit. cap. 16. Certum eſt nos facere cum facimus ſed ille, id eſt Deus, facit vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, ſicut dicit faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea obſervetis & faciatis. Ninivitarum exemplum alienum eſt: nam miſertus eſt Deus illorum quod vindictam quam minatus eſt de peccatis non ſumpſit: quod ſi habuerint remiſſionem peccatorum, fide habuerunt: fatemur cum Davide Spiritum contritum eſſe gratum Deo ſacrificium: ſic opera etiam 13. ad Hebræos ſunt ſacrificia deo accepta in Chriſto, nec tamen ſunt cauſa efficiens remiſſionis peccatorum. Tobiæ locus extra Scripturæ canonem eſt. Danielis autem expeditus fuit. Locus ex Lucæ 7. cap. fortaſſe acrius vrget, remittuntur ei peccata quoniam dilexit multum: ſed hic verus & genuinus ſenſus eſt, quia ſunt ei remiſſa peccata, ideo multùm dilexit; totus contextus clamat hunc eſſe ſenſum: arguit enim ab effectu ad cauſam, non à cauſa ad effectum.

effectum. Ita sumitur particula ὅτι, 1. Ioh. 15. cap. 15. vers. sic sumo ego particulam ci 1. Sam. 2. cap. vers. 25. testimoniis hominum abundare potui, solus Ambrosius sufficiet. Itaque inquit non est dubium quod plus debeat quæ plus accepit, & secundum hominem plus fortasse offendit, qui plus debuerat, sed per misericordiam Domini causa mutatur, & amplius diligit qui amplius debuit, si tamen gratiam consequatur. Locus ergo recte expensus Bellarminum lædit: nam ostendit evidentissime, remissionem peccatorum esse causam dilectionis. Accedit Bellarminus ad Patres, verùm sciendum est vt patres rectè intelligantur, eos per mereri intelligere impetrare: ne longius abeam, ostendit hoc testimonium Tertulliani de Achab. nam Achabus mereri non potuit cùm improbus fuit; & tamen asserit Tertullianus eum meruisse veniam pœnitentiæ nomine. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 3. respondet ad 3. fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem: num peccata nostra meruerunt Christum? imo gehennam meruerunt. Prudentius de Hypolito hic corruptelis animiq; & corporis æger, oravi quoties stratus opem merui.

Is dicitur propriè mereri qui ex bono opere dignus est præmio.

rui. Quid quæso est hic mereri nisi impetrare? Legãtur testimonia Ambrosii à Bellarmino prolata. Cyprianus dicit Deo satisfiori posse: verum id dicitur de satisfactione quæ Ecclesiæ fit. Nam quia hæc ratio publicè satisfaciendi Ecclesiæ (modo maneat intra limites verbi Dei) ab ipsius Dei spiritu profecta est, fit vt veteres aliquando id dicant, eos qui hic Ecclesiæ satisfaciunt Deo quoque satisfacere, hoc est observare quod à deo est institutum. sed remitto Lectorem ad opus nostrum de Papistarum confessionibus scriptum, vbi satisfactionis vsus apud Patres abundè explicatur. Satisfactio, inquit Isidorus, lib. 6. Ety. cap. 19. est causas peccatorum & suggestiones excludere, & vitra peccatum non iterare. Rationes duas subiungit Bellarminus, prima hæc est, oratio peccatoris pœnitentis apud Deum non est inanis, ergo multò magis pœnitentia non erit inanis. Respondeo, hoc est somniare non disputare. Fatemur orationes piorum non esse inanes, nec tamen inde sequitur mereri remissionem peccatorum, nisi mereri sit impetrare. Equidem impetrare non possunt nisi cum fide coniungantur. Oratio fidei inquit Iacobus 5. cap. eum saluabit.

bit. Oratio teſte Aquinate 22. 83. quæ. art. 15. reſp. ad tertiam principaliter innititur fidei quantum ad efficaciam impetrandi, quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ & miſericordiæ ex quibus oratio impetrat quod petit. Secunda ratio Bellarmini hæc eſt. Actus pœnitentiæ eſt a Spiritu ſancto, ergo ſuo modo eſt cauſa Iuſtificationis. Reſpondeo. Imo hinc ſequitur actum pœnitentiæ non mereri quia merum donum Dei eſt, & eiuſmodi donis nobis a Deo donatis, debitores in dies magis, magisq; illius maieſtati efficimur, ita vt nunquam ſolvendo ſimus. Intelligendum eſt (inquit Auguſtinus) cap. 107. Euchir. etiam ipſa hominis bona merita, dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur? Nam vt taceam (inquit Bernardus) quod merita omnia dona Dei ſunt & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt, quam Deus homini, quid ſunt merita ad tantam gloriam? Nunc videamus an melius & & fœlicius noſtro reſpondent argumento: ſi contritione noſtra iuſtificamur quomodo nos gratis iuſtificari dicit Apoſtolus? ſi contritio iuſtificatorem meretur, cur

ſerm. 1. de annunt.

non

non potius redditur qnàm donatur? Respondet ideo nos gratis Iustificari, quia ipsa contritio donum Dei est. Siccine Bellarmine? Aquinas in supplem. quæst. 9. art. 1. hæc verba habet, Contritio est à Deo solo quantum ad formam, qua informatur, sed quantum ad substantiam actus est ex libero arbitrio & à Deo, qui cooperatur absque operibus & naturæ & voluntatis. Ergo contritio non est merum Dei donum. Expendat ipse *B*ellarminus quod scripsit lib. 6. de gratia & libero arbitrio. cap. 15. 3. propositione: habet homo ante gratiam, potentiam remotam & vires imperfectas ad opera pietatis; ergo opera pietatis partim ex nobis sunt, & 9. propositione inquit quod fieri potest vt eadem motione interna duobus adhibita, vnus convertatur alius non convertatur: hoc probat ex parabola seminantis. 13. math. vbi Dominus causam diversitatis, cur idē semen alicubi multum, alicubi parum, alicubi nihil omnino protulerit, refert in variam terræ dispositionem. Vtcunq; ergo conantur Papistæ palliare suas opiniones, re vera pietatis opera partim ad naturæ vires referunt. Idem *B*ellar. lib. 5. cap. 29. fatetur nos habere aliquid proprii

prii & noſtri contra apertiſſima verba Pauli. Nos cum Auguſtino cap. ſecundo de corrept.& grat. aſſerimus ſolam gratia Dei liberari homines à malo. At quid (inquiunt adverſarii) nobis prædicatur atque præcipitur vt declinemus à malo & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus ſed id velle & operari Deus operatur in nobis? Reſpondet Auguſtinus. Intelligunt ſi dei filii ſunt ſpiritu Dei ſe agi vt quod agendum eſt agant,& cum egerunt, illi à quo aguntur gratias agant, aguntur enim vt agant. Auguſtini teſtimonio abutitur Ieſuita: nam mereri apud Auguſtinum eſt impetrare, vti vel lippi cernere poſſunt. Fatemur cum eodem fidem impetrare remiſſionem peccatorum. Tandem agnoſcit Ieſuita meritum contritionis non eſſe proprie meritum; quid alibi ſcripſit Bellarminus hic ſerio velim expendat lib. 1. de grat. cap. 8. ſic diſputat. Si Spiritus Sanctus (inquit) dilectionem in nobis efficiat non cooperante libera voluntate, ſine dubio, dilectio illa voluntaria eſſe non poterit: ſi verò cooperante libera voluntate, ſed abſque habitu prius infuſo, dilectio perfecta & prompta non erit: neque enim potentia perfectam actionem facere poteſt niſi ipſa

ſa perfecta per habitum. & paulò antè, vel Spiritus Sanctus efficit in animis noſtris dilectionẽ, concurrẽte & cooperãte libera volũtate vel ea non cõcurrẽte & cooperãte ſi primum detur, ſequitur actionem diligendi in nobis non eſſe perfectam: ſi ſecundum detur ſequitur actionem eandem non eſſe liberam, ac per hoc non meritoriam. Idem de contritione dicendum eſt ſi cooperatur voluntas ex ſe vti papiſtæ volunt hinc actio imperfecta erit & ita valebit meritum: ſi non cooperatur, idem ſequetur: eligant Papiſtæ quid velint. præterea meritum eſt actio, vt ei qui agit ſit iuſtum aliquid dari, at quis dixerit iuſtum eſſe dari contrito remiſſionem peccatorum? rurſus in epiſtola ad Romanos in priori parte oſtendit Paulus omnes homines. tam Iudæos quàm Gentiles vocari ad fidem & remiſſionem peccatorum abſque vllis præcedentibus meritis: id probat quòd omnes ſunt peccatores, vnde hic erit ſyllogismus. Nulli peccatores merentur remiſſionem peccatorũ. omnes homines ſunt peccatores ergo nulli merentur remiſſionem peccatorum. Suaviter Bernardus ſer. 9. in Pſal. qui habitat. meritum meum miſerationes Domini

mini: non suum ego inops meritorum, quam diu ille non est inops miserationum: si miserationes eius multæ sunt, multus sum ego in meritis. Aquinas ex Augustino. Peccator non est dignus pane quo vescitur, ergo non potest aliquid à Deo mereri. Optime idem grauissimus pater in psal. 31. nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum; attenduntur opera & inveniuntut omnia mala. Proinde dicant pii omnes cum eodem Augustino 99. cap. miseretur Deus magna bonitate & obdurat multa iniquitate, vt nec liberatus, de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. sola enim gratia redemptos discernit à perditis. Exempla sanctorum Pauli, Mathæi, Magdalenæ & similium hanc doctrinam mire muniunt, qui vocati fuere, cum iuxta Papistas maxime indispositi fuere. Isaias vocat eos ad aquas qui nullam habent pecuniam. Cap. 13. & 14. disputat Bellarminus contra Papistas, vbi cupio lectorem obseruare Bellarmini expositionem verborũ Act. 22. ablue peccata sua. 1. ablutionis sacramentum accipe. quomodo de Cornelio loquitur Augustinus quæst. 33. in lib. Num. Iste sensus opus operatum penitus evertit

In supplem. quæst. 14.

En ad lari

55. cap.

evertit, an hunc ſenſum ſequatur in diſputatione de ſacramentis viderint docti: mihi ſufficit oſtendere illum hic cum Orthodoxis hunc ſenſum ſequi. Cap. 15. & 16. probat nullum eſſe peccatum quod per veram pœnitentiam non deleatur, ac definit, Calvinum ſequutus, peccatum in Spiritum ſanctum propriè nihil aliud eſſe, quàm veritatem cognitam ex malitia improbare, & tanquam dæmoniacam calumniari. Aſſerit etiam Bellar. Peccatum in Spiritum Sanctum ex nonnullorum ſententia irremiſſibile dici, quia etiamſi remitti poſſit, ſi pœnitentia adeſſet, tamen qui ita peccant, ad veram pœnitentiam non perveniunt: quòd iuſto iudicio Deus eos deſerit, & in reprobum ſenſum tradiderit: hæc ſententia inquit videtur eſſe Athanaſii, Hilarii, Hieronimi, & Anſelmi in cap. Matth. 12. Improbat Bellarminus hanc opinionem, & aſſerit peccatum in Spiritum ſanctum remitti poſſe contra apertas Scripturas. Certè regula Theologorum eſt, vt verba ſcripturarum accipiantur propriè, quando nihil abſurdi ſequitur. Cap. 17. probat contritionem ex timore pœnæ actum eſſe vtilem. Res facile expediri poteſt: vtilis eſt quatenus à Spiri-

tu

tu ſancto oritur, & homines ad pœnitentiam ducit, ſed quatenus ſervilis eſt, malus eſt. Thomas 2. 2. quæſt. 19. art. 4. Timor ſervilis ex parte ſervilitatis habet quòd ſit malus: & rurſus, timor ſervilis in quantum ſervilis eſt charitati contrariatur: quatenus ergo timore ſervili homines fremunt adverſus Deum eatenus improbandus eſt iſte timor: quatenus verò eſt tanquam miles armatus, qui fures & latrones arcet à Domo eatenus vtilis eſt. Debent fateor, homines ſemper revereri Iuſtitiam Dei. at hoc aliud eſt. Auguſtinus 144. epiſt. ſic ſcribit. Inimicus Iuſtitiæ eſt qui pœnæ timore non peccat, amicus ſi eius amore non peccat: qui gehennam metuit, non peccare metuit ſed ardere. Atque ſic contritionis doctrinam, ſequutus Bellarmini veſtigia profecti. Det Deus vt verè doleat pœnitens, hoc ſi fecerit, de dolore gaudebit. Cum igitur pœnitentia vt conſtat ſit tam θεου χρῆμα impedimenta eiuſdem cõtemplemur.

Primum impedimentum eſt malum conſilium, eſtque vel conſilium propriæ carnis vel aliorum hominum: nam audita concione, quidam cogitant de derelinquendis peccatis: inſurgit caro, vel adſunt mali

mali consiliarii susurrantes non est verum quicquid concionator dixerit. Consilio malo lapsi sunt primi parentes, consilio malo in peccatis hærent plurimi post lapsum. Dixit Hesiodus ἡδὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλευσαντὶ κακίστη. at hic obsecundare consilio malo pessimum est: proinde minus placeat quod suadetur vel a baliis vel à proprio ingenio, quod dissuadetur placeat, asserenti Satanæ ne credamus.

Secundum impedimentum est opinio propriæ excellentiæ. 3. Apocalyp. 17. ver. ὅτι λέγεις ὅτι πλούσιός εἰμι καὶ πεπλούτηκα καὶ οὐδενὸς χρείαν ἔχω. Iuvenis in Euangelio inflatus opinione de observatione mandatorum tristis discessit. Hic arguendi civiles qui sua civilitate acquiescentes sibi blandiuntur, hos oro vt ad legem Dei vitam suam revocent: initium salutis est notitia peccati: deprehendas te oportet antequam emendes. Ideo quantum potes teipsum coargue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere: deinde iudicis, noviſſime deprecatoris, aliquando te offende.

Tertium impedimentum est exemplum aliorum: nam quod exemplo fit, id iure fieri putant. Quos nunc dierum sequuntur Themistoclem, qui dixit, si quis mihi duas mon-

monſtraret vias, vnam ad inferum, alteram ad tribunal, multo libentius eam ingrederer quæ recta tendit ad inferum? quot nunc dierum ſequuntur Rathōldum ducem friſonum qui prędicatione Wulfranni epiſcopi, ad hoc adductus vt baptizari deberet, cum vnum pedem in lavacro intrāmiſiſſet, alterum pedem retrahens interrogavit vbinam plures ſuorum maiorum eſſent in inferno an in paradyſo, & audiens plures eſſe in inferno, pedem extrahens, ſatius eſt inquit vt plures quam pauciores ſequar. in iſto impedimento reſpondendum eſt lege vivendum eſſe non exemplo. Turba argumentum peſſimum vt ſcite Seneca. Non eſt inquit Orator graviſſimum teſtimonium multitudinis in omni enim arte vel ſtudio, vel quavis ſcientia, vel in ipſa virtute, optimum quidq; rariſſimum eſt. Sigebert. anno 718.

Quartum impedimentum eſt ſpes annoſæ vitæ, multi differunt pœnitentiam in ſenectutem ad quam ætatem pauci pervenere. Non te pudet reliquias vitæ tibi reſervare & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poteſt? Non malè Poeta.

Optima quæq; dies miſeris mortali-

bus ævi,
prima fugit, subeunt morbi tristisq; senectus.

Quam serum est tunc vivere incipere cum desinendum est inquit Seneca.

Quintum impedimentum est præsumptio miserecordiæ Dei: præsumunt quidam se posse veniam adipisci sine pœnitentia: præsumptuosius peccat non nimis æstimando misericordiam Dei, sed contemnendo eius iustitiam. Deus misericors resipiscentibus non perseverantibus in peccatis.

Sextum impedimentum est difficultas pœnitentiæ: multi tam molles & effeminati sunt vt non audeant aggredi tam laboriosum opus. At bona non quia difficilia sunt non audemus, sed quia non audemus sunt difficilia: neminem vnquam destituere tentantem, omnibus faciliora videbantur in actu. Deus adiuvat dimicantes vincentes coronat: retributione pietatis paternæ, remuneramus in nobis quicquid ipse præstitit, & honorans quicquid ipse perfecit, inquit Cypr. lib. 3. epist. 25.

Septimum impedimentum est delectatio peccati. Cogitet hic homo quod voluptas brevis & exigua, comes fastidium

&

& ſatietas æternum præmium, æterna pœna.

Octavum impedimentum eſt amor mundi. O munde immunde, qui ſic allicis tranſiens, quomodo alliceres ſi permaneres? pix eſt mundus, viſcus eſt mundus, laqueus eſt mundus, meretrix eſt mundus, omnia tanquam mortales timemus omnia tanquam immortales concupiſcimus. Meditandum nobis eſt nos inquilinos eſſe, & in conducto habitare. 2. diſpenſatores eſſe. 3. & nos homines eſſe. Cum ſis homo ſcito hoc, & ſi mper eris homo.

Nonum impedimentū eſt irriſio: multi ſubſannationes impiorum ferre non poſſunt, ac ſi nobis ignominia eſſet pati quod Chriſtus paſſus eſt, aut illis gloria: facere quod fecit Iudas. Crudelitas impiorum, piorum eſt gloria, qui vult eſſe bonus, oportet eum ſæpe falli & videri.

Decimum impedimentum eſt fallacia peccati, fallit quippe peccatum ſpecie virtutis & ymbra. Avaritia frugalitas habetur, prodigalitas in liberalitatem vertitur: ſuperbia in munditiem ſe tranſtulit væ dicentibus de malo bonum eſſe, & de bono malum eſſe, ſtatuentibus tenebras pro luce, & lucem pro tenebris: ſtatuentibus a- Eſa. 5.

marum pro dulci, & dulce pro amaro.

11. Impedimentum est incuria, quippe multi adeo negligentes sunt salutis suæ, vt quid de se fiat non sunt soliciti. Quidam belluas agunt ad id solum quod adest, quodque præsens est se accommodant, paulò admodum sentientes præteritum aut futurum.

12. Impedimentum est consuetudo peccandi, magna est vis consuetudinis, vnde altera natura appellatur. Corpus assuetum tunicis loricæ onus non fert. Consuetudo callum obdurit hominibus: atq; hæc vsitatissima sunt impedimenta pœnitentiæ quibus insistere animus non fuit, eadem amplificare brevitati studens non audebam: possunt pii alia obseruare. Deum optimum maximum oremus assiduè vt ista obstacula nobis auferat.

Impedimentis ob oculos positis eisdēque sublatis, rationes apponam, quæ pœnitentiam hominibus suadere possunt. Ratio prima sumitur à mandato Dei: serui Naaman 2. Reg. 5. 13. Dominum sic alloquuntur: Domine si rem magnam iste Propheta edixisset tibi, an non facturus fuisses? Deus nobis pœnitentiam iubet & mandat, nonne illius dicto audientes erimus?

mus? qui non obtemperat Christo iubenti & mandanti, obtemperabit tandem iudicanti.

2. Necessitas tanta est, vt si sancti omnes pro impenitente intercederent, si non agat pœnitentiam non potest ille salvari. Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 2. Cor. 7. 10. tristitia secundum Deum efficit pœnitentiam ad salutem, vna salus impœnitentibus pœnitentiam agere.

3. Gaudebunt Angeli. Luc. 15. 10. Gaudium est coram Angelis de vno peccatore pœnitentiam agente: gaudere Angelos non dubitant docti, hæc tamen loquutio mihi sumpta videtur ab hominibus, homines repentino aliquo motu & præsente affectu gaudii de re grata illis contingente mirum in modum exultant, vin tu itaque Angelos exhilerare? luge peccata tua. E contra vin Dæmones contristare? defle delicta tua. Angeli gaudebunt, dæmones dolebunt de pœnitentia peccatoris, & nonne peccator resipiscet?

4. Exempla Sanctorum qui resipuerunt de peccatis suis, de ista ratione dixi in mediis quibus homo ad contritionem perducatur, nominasse itaque sufficiet.

5. Fœlicitas pœnitentiam agentium, pœnitentes omnes fœlices, impœnitentes omnes miseri. Beati qui lugent, quia illi solatio permulcebuntur: ad gaudia venitur per dolores, ad honores per infamiam, ad dulcedinem per amaritudinem, ad altitudinem per humilitatem, per mortem ad vitam.

6. Gloria Dei. Magna accrescit Deo gloria ex conversione peccatoris, ex creatione glorificatur Deus, resipiscentia nova creatio est; misericordia Dei hoc pacto meritissime decantabitur. Ipse pœnitens etiam alios ad pœnitentiam invitabit & vocabit. Herus servos, minister gregem sibi concreditum ad pœnitentiam trahet: si ipsi semel conversi fuerint. Si in istis insisterem modum mihi propositum excederem. Pergo itaque ad Τεκμήρια quibus homo cognoscat se veram egisse pœnitẽtiam. Prima regula quam ad dignoscendam veram pœnitentiam pono, hæc est. Qui pœnitudine ductus est ob vnum peccatum, pœnitet eum omnium ratio est. si displiceret ei illud peccatum qui est contra Deũ super omnia dilectũ. (quod requiritur ad rationẽ veræ pœnitentiæ) sequetur quod de omnibus pœnitentiã ageret. Greg. 34. hom. in Euã, quid prodest si pec-

quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æstibus an helet? quid prodest si iræ culpas lugeat & tamen adhuc invidiæ facibus tabescat? Secunda regula hæc est, qui agit pœnitentiam, luget peccata ob offensam quam contra Deum commisit non propter pœnas. appellatur iste actus 2. ad Cor in 7. tristitia secundum Deum. Comites huius doloris sunt confessio peccati salutaris. nuda confessio professio non emendatio, accusatur anima non sanatur, pronuntiatur offensa non tollitur. 2. præces. Hos. 14. 1. pro remissione peccatorum cum gemitibus imenarra bilibus & cum perseuerantia. 3. odium peccati. in odio peccati ista obseruabimus. *viz.* motum stomachi vel ad peccati nomen. 2. aversationem oculorum â peccantibus. Psal. 15. 3. disiderium pœnæ hæc in odio reperiri facile possunt omnes coniicere hinc provocatus pœnitens ad peccatum non cedit, vir bonus quando honestè se facturũ putat, faciet etiamsi laboriosum sit, etiamsi dammosum, etiamsi periculosum, si turpe sit non faciet, etiamsi pecuniam afferret, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam, ab honesta nulla re deterrebitur, ad turpe nulla mercede invitabitur. Tertia regula est, si tibi daretur optio, vt vel vno pecca-

to clam perpetrando, quidvis ab hoc mundo obtineres, vel non perpetrando in miſeriam, ad mortem vſque duraturam incurreres; quid tu hic facturus eſſes? hic perſpicies, num teipſum pluris facias quàm Deum. expende etiam amore tui an potius Dei ad non peccandum moveris? Neſcit ſe homo, niſi diſcat ſe in tentatione. Nulla laus eſt integrum eſſe, vbi nemo eſt qui poſſit aut conetur ad peccatum perſuadere. 4. Septem illa pœnitentiæ opera ab Apoſtolo enumerata. 2. Cor. 7. diligenter vnuſquiſque expendat i eſt ſolicitudo ne rurſus incidat in laqueos Diaboli. 2. apologia, qua contra obiectiones vel diaboli. vel conſcientiæ, vel mundi homo ſe excuſat. 3. indignatio contra ſeipſum. 4. timor, 1. aſſidua Dei ob oculos collocatio. 5. deſiderium Deo in vocatione placendi. 6. zelus. is probus eſt quẽ non pœnitet quam probus ſit & frugi, bonæ. 7. vindicta, qua a rebus aloquin in ſe licitis abſtinemus. ictus piſcator ſapiet, ſi non inſaniat, plura ſigna non enumerabo. Quæritur an pœnitens bis idem peccatum perpetrare poſſet. Reſp. ex humana infirmitate poteſt, Iohannes Euangeliſta bis ex oblivione in mentis extaſi deceptus fuit.

dum

dum gloriam Angeli, illi res miras ostendentis contemplatus est, vt vestis cesuræ si aureis funiculis, & prætiosis gẽmis copulentur, pulchriorem reddunt ipsam vestem quam si tota sana fuisset & integra: sic fieri potest vt tam acerbo animi dolore tanta gratia & charitate quis resurgat vt pulchrior reddatur, quam si in crimen non incidisset.

Iam tempus pœnitentiæ est tempus huius vitæ. Augustinus perspicuus fuit vti meminisse potes. *Basilius* 5. definitione hoc firmiter probat Nazianzenus oratione. 10. sic scribit. ἐν ταῦθα βίος καὶ πρᾶξις ἐκεῖ δὲ τῶν πεπραγμένων ἐξέτασις

Epiphanius contra cathares hære. 59. Cyprianus contra Demetrium. Hieromi in 6. cap. ad Galat. idem docent. Damasce, lib. 2. capi 4. inquit quod idem est hominibus mors, quod Angelis casus. sed Angeli post casum facti sunt immobiles in malo, miro itaque quid Bellarmino in mentem venit. vt lib. 1. de purg. cap. 14. scriberet, pœnitentiam in purgatorio agi posse, non curat iste quid scribat modo tueatur purgatorium. Thomas in supple. quæst. art 3. Contritio est pars sacramenti, sed sacramenta non manent post hanc

vitam

ergo.& rursus,pœna illa quam animæ in purgatorio sustinent, non potest propriè dici satisfactio,quia satisfactio requirit opus meritorium,sed largo modo dicitur satisfactio pœnæ debitæ solutio, quoniam verò vti dixi pœnitentia si susius sumatur,continet fidem iustificantem sin verò strictius eam præsupponit, pauca breviter de natura fidei iustificantis dicam si peccator in contritione non apprehendat fide Dei misericordiam in Christo oblatam, actum de illo est,quædam impietas infidelitatis est ab illo qui iustus est & iustitia dimidiam sperare veniam,vtile itaque erit vt spero naturam fidei breviter demonstrare id faciam Deo annuente ex sacra scriptura & antiquis patribus.In fide primum requiritur notitia, hoc scripturæ evidenter probant.Esa.53.11.cognitione sui iustificabit iustus servus, mens multos. nuda notitia homines non iustificat nam fide iusticamur.Iohannes.17.cap.vers. 3. sic scribit,hæc autem est vita æterna vt te cognoscant esse solum illum verum Deum,& quem misisti Iesum Christum, nulla salus sine fide, nulla autem fides sine notitia.sed loquatur ipse Bellarminus lib.1. de bap.cap.11.probat infantes non habere fidem actualem, quia scriptura Deut. 1.

& Ionæ vltimo asserit infantes non cognoscere distantiam boni & mali, at quale hoc argumentum est nisi ad fidem requiratur cognitio? nam prōptum est respondere fides melius definitur per ignorantiam quàm per notitiam: & si itaque infantes non habent notitiam, possunt tamen habere fidem. præterea inquit Iesuita probatur ratione Augustini in epist. 57. quia constat infantes & vocis eiulatu & motibus corporis reluctari & obstrepere baptismo, si verè intelligerint. quod necesse est si credere debent, rei fierent ingentis sacrilegii, nec abluerentur, sed magis sordidarentur. Hinc concludo notitiam requiri ad fidem, nam si credant necesse est vt intelligant inquit Bellarminus pergit adhuc Iesuita, & probat infantes dum baptizantur non habere vllos novos motus & inclinationes similes actibus fidei & dilectionis, quia nusquam in tota scriptura habetur nomen fidei in ea significatione, at designet motum quēdam sine sensu & cognitione, sed potius è contra vt patet Rom. 10. fides ex auditu. Heb. 11. fide intelligimus aptuta esse sæcula verbo Dei. hinc aperte sequitur fidem non esse sine cognitione. an clarior adhuc tibi fax accendenda est, enitaque, certum est inquit

Iesuita

Ieſuita fidem iuſtificantem non eſſe motum ſine cognitione, aloquin & beſtiæ iuſtificari poſſint. vltimò, illi motus inquit ſi ſint in animo, eſt impliatio contradictionis, quod ſint abſque cognitione, quid enim eſt motus intellectus niſi intelligere? nec enim aliter moveri poteſt intellectus niſi intelligendo, ſicut nec oculus niſi videndo: nec ſenſus audiendi niſi audiendo. & quomodo poteſt voluntas inclinari, niſi precedente cognitione. cum obiectum voluntatis non ſit aliud niſi bonum cognitum. Hactenus Bellarminus, nunc videamus illius rationes contra iſtam notitiam quam in fide requirimus Iſaias inquit aperte proteſtatur, niſi credideritis, non intelligitis, vbi videmus fidem non eſſe intelligentiam, ſed viam, & gradum, ad intelligendum. quod aliis verbis dixit etiam de rebus naturalibus ille philoſophus, addiſcentem oportet credere. Reſpondeo. Non curant iſti Carnifices Scripturarum ſacras res pervertere, nam iuxta Hebraicum contextum, ſic verba vertenda ſunt, ſi non credetis, propterea non confirmabimini, hinc ſequitur fidem diffidentiæ repugnare, non autem non requirere notitiam, fides innixa Deo trepidantia

dantia firmat pectora. ad Philosophi dictum respondeo verissimum est, quod addiscentem credere oportet, nec tamen impedit hoc dictum quo minus ad fidem divinam requiratur cognitio Dialecticus docet Discipulum definitiones Dialecticæ, aliasque eiusdem artis proprietates, nisi discipulus illi credet vera docenti non discet, nec doctus evadet. Sacra Scriptura docet Deum esse vnũ & nos gratis servari, nisi Christianus credat, hæc & innumera alia non discet ille scripturas. Verissimum etiam est credentes Deo, doctiores evasuros nam vt inquit Dauid, psal. 25. Deus viam suam docet mansuetos, quales credentes sunt: suaviter Christus Iohan. 14. 21. vers. qui tenet mandata mea & servat illa, is est qui diligit me, qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & ipsi conspicuum exhibeo meipsum, num hinc sequetur hominem posse custodire Christi præcepta nisi eadem noverit? cæca certe est illa obedientia, quæ ex scientia non oritur: habet has vices fides, vt notitia præcedat eam: & deinde Deus se magis magisq; credenti revelet. Loca à Bellarmino prolata ex 13. & 12. capitibus ad Corinth. intelligenda sunt de

fide

fide miraculorum. Theodoretus fidem hic non dicit communem, sed illam de qua paulo post dicit: etsi habuero omnem fidē vt montes transferam: propter eam enim quæ tunc erat infidelitatem multa eiusmodi miracula faciebant ad admirationē illos per ea adducentes ad veritatem. Vide Theophilactum & alios. Tertia Bellarmini ratio sumitur ab obedientia fidei: nam inquit ille non est necesse captivare intellectum vbi est notitia veritatis: siccine Bellarmine, nonne ipsa notitia salutaris coniuncta est cum obedientia? si notitia non sit coniuncta cum obedientia, vana erit. Quippe vt inquit Iohannes, 1. epist. 2. qui dicit se nosse Deum & mandata eius non servat hic mendax est. Præterea Evangelium dicitur in captivitatem redigere intellectum, quia credens non quærit philosophicas demonstrationes: non reiicit Apostolus notitiam, sed vult homines credere sine argumentis philosophicis. Aufer, inquit Ambrosius, argumenta vbi fides quæritur: in ipsis gymnasiis suis iam Dialectica taceat, piscatoribus creditur non Dialecticis. Profert Bellarminus po-
2.45. stea Patres. Irenæum turpiter corrumpit: nam hæc verba omisit, nec aliud inquirere

ad

ad ſcientiam niſi Ieſum Chriſtum filium Dei qui pro nobis crucifixus eſt. Damnat ergo Irenæus quæſtionum ſubtilitates, non notitiam Chriſti. Clementis etiam teſtimonio fœdè abutitur Ieſuita : nam hæc verba præcedunt, ſi non didiciſti legere, non eſt quod de auditu te poſſis excuſare quoniam is nequit doceri. Fatemur cum Clemente fidem non eſſe poſſeſſionem ſapientium ſecundum mundum, ſed eorum qui ſecundum Deum ſunt ſapientes. Quid tum loquatur ipſe Clemens in initio 5. lib. ſtrom. Noſſe autem neceſſe eſt quis ſit filius Dei. Iam verò neque eſt cognitio ſine fide, neque fides ſine cognitione, ſequitur & vt credat quis filio oportet noſſe patrem ad quem etiam refertur filius. Hilarius curioſam ſcientiam & eam quæ extra Scripturam eſt damnat, non eam quæ ex ſacra pagina petitur. Fatemur cum Auguſtino, quod ſi propter eos ſolos Chriſtus eſt natus qui certa intelligentia poſſunt iſta diſcernere, penè fruſtra in Eccleſia laboraremus. Aliud eſt eſſe omnino rudem & ignarum, aliud non eſſe ratiocinandi acumine & ſubtilitate præditum, credendi ſimplicitas omnibus neceſſaria eſt, credere autem ſine Scripturarum cognitione

nitione nemo potest. Vivacitas intelligendi non eadē in omnibus postulatur. Nunc patres attexam. Marcus de lege spirituali præclarè scribit qui non cognoscit veritatem, nequaquam verè potest credere, siquidem cognitio secundum naturā præcedit fidem. Item Inferus est ignorantia. perditio autem oblivio, vtraquē vero obscura est, propterea vtraque noxia. & in lib. contra eos qui putant ex operibus iustificari, inquit omnium malorum dux est ignorantia, secunda post hanc est incredulitas. Theodoretus lib. 1. de curandis Græcorum affectibus. Indiget autem fides cognitione, sicut & cognitio fide indiget, neque esse potest fides sine cognitione neque cognitio sine fide, quòniam verò defendit Bellarminus ignorantiam per sexum muliebrem. Audiatur idem Theodoretus lib. 5. de cur. gtæc. affect, Fossores inquit & bubulci & plantarum consitores de divina trinitate disſertantes invenias, & rursus passim videas nostratia dogmata, non ab iis solum teneri qui sunt Ecclesiæ magistri populorumque præceptores, sed ab ipsis quoque sutoribus. fabrisque ferariis, lanificibus præterea cunctisque artificibus quidem & à fœminis omnibus

non

non iis modò quæ literas didicerunt sed quæstuariis ac sartricibus ãcillisque adeò & pedissequis: his verbis ostendit Theodoretus, notitiam apud Christianos antiquos viguisse. Porro in fide non solum exigitur notitia, sed certus assensus siue adhæsio particulari promissioni de remissione peccatorum: hoc dilucide probatum est quia strenue a Bellarmino negatur. Iobus cap. 19. vers. 28. in hæc verba erupit. Novi redemptorem meum vivere. Quid clarius? Dauid Psal. 103. 3. vers. benedicit Deo (fundamento remissionis peccatorum posito) qui condonat omnes iniquitates tuas inquit Regius Propheta: præterea Christus math. 11. vocat omnes qui laborant, non ad alios sed ad seipsum. Venite omnes qui laboratis. Venire ad Christum est credere in Christum: vti ergo homines dubitant de remissione peccatorum, ita credere eandem iubentur: iam vero dubitant homines in particulari de remissionem peccatorũ. Mar. 11. Quicquid 24
inquit Christus orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis: fideles autem in precibus petunt remissionem peccatorum, ergò credere debent. Abrahamus ad Rom. 4. & Paulus 2. ad Galat. illustria exempla

empla sunt credentium in particulari. Particulari ista applicatione apprehenditur remissio peccatorum, Iohannis 1. cap. 12. versum, accipere Christum exponitur pro Credere in Christum. 9. ad Rom. dicitur fides apprehendere iustitiam. Iohannis 6. cap. 50. ver: fides comestioni comparatur. Tertullianus de resurrectione carnis. Christus auditu devorādus est, intellectu ruminandus est, & fide dęgerendus. Cyprianus de cœna domini. Quod est esca carni, hoc est animæ fides. Sed veniamus ad perspicua testimonia Patrum. Bernardus ser. 1. in annuntiat. Testimonium conscientiæ, quod Piorum gloriam vocat Paulus, in tribus consistete credo: necesse est enim primò omnium credere, quod remissionem peccatorum non habere possis nisi per indulgentiam Dei; deinde quod nihil prorsus habere queas operis boni nisi & hoc dederit: postremo quòd vitam æternam nullis potes meritis promereri nisi gratis detur illa: subiungit Paulo post: verùm hæc quæ nunc diximus non omnino sufficiunt sed magis initium & velunt fundamentum fidei habenda sunt, ideoque si credis peccata tua non posse deleri nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum

non

non cadit, benè facis, sed adde adhuc vt & hæc credas quia per ipsum tibi peccata condonantur. *Hoc* est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus dicens, dimissa sunt tibi peccata tua. Hoc testimonium cuivis non contentioso sufficeret: sed addam alia. Augustinus 15. cap. med, vbi ergo inquit portio mea regnat ibi me regnare credo; vbi *Caro* mea glorificatur, ibi glorioſum me esse cognosco; vbi sanguis meus dominatur ibi dominari me sentio, quamvis peccator sum, de hac communione gratiæ non diffido, etsi peccata mea prohibent, substantia requirit; etsi delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit: legatur 14. cap, eiusdem libri. Ambrosius lib. de Iacob & vita beata cap. 6. Non habeo inquit vnde gloriari in operibus meis possim, non habeo vnde me iactem: & ideo gloriabor in *Christo*; non gloriabor quia iustus sum, sed gloriabor quia redemptus sum: gloriabor non quia vacuus sum peccati; sed quia mihi remissa sunt peccata; nō gloriabor quia profui, neque quia profuit quisquam sed quia Advocatus pro me apud Patrem *Christus* est, sed quia pro me *Christi* sanguis effusus est,

facta est mihi culpa mea merces redemptionis per quam mihi Christus advenit, propter me mortem gustavit, fructiosior culpa quam innocentia. Dictum hoc Ambrosii est piorum omnium oblectamentum. Cyprianus de mortalitate suauiter scribit, Si iustus es & fide vivis, si verè in Deum credis cur non cum Christo futurus & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris, & quod Zabulo careas gratularis? & rursus, si tibi vir gravis, & laudabilis aliquid polliceuetur, haberes vtique pollicenti fidem, nec te falli & decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque actionibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi recedēti de hoc mūdo immortalitatē pollicetur atque æternitatem, & tu dubitas? hoc est Deum ōmnino non nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere: hoc est in Ecclesia constitutam fidem in domo fidei non habere. Plura testimonia Patrum non cumulabo. Addam testimonium Gropperi. Fatemur inquit verum esse, ad Iustificationem hominis omnino requiri, vt homo certò credat, non tantum generaliter,

ter, quod propter Christum verè pœnitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsimet homini credẽti remissa sunt propter Christum per fidem: nam qui dubitat similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur: non ergo existimet homo ille, quòd accipiet aliquid à Deo. Rectè dixit Hilarius in Math. cap. 5. Deum velie vt sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate speremus, quod alioqui iustificatio ex fide nulla sit, si ipsa fides sit ambigua. Hæc Gropperus. Tertiò cum fide coniungitur sancta vita. August. 85. epist. pia fides non vult esse sine spe & charitate: fides inquit Iacobus cum operibus operatur: res simili declarari potest: fingatur animo ægrotus aliquis valde cupidus salutis, qui si repente ad eum accedit Medicus, qui certò pollicetur salutem, non posset cum non amare: similis hominis ægroti est is qui credit Deum instar peritissimi medici salutem offerre, non cogitur hic ęgrotus amare inquit Bellarminus? fateor: tamen amat necessitate consequẽtiæ, necessitatem connexionis virtutem asserimus non coactionem: quod si amaret iste ægrotus amore concupiscentiæ non tamen ista similitudo infringitur, quippe

Deus qui amorẽ inſpirat, inſpirat eũ volũtati & complacentiæ ſuæ conſonũ. Chryſoſtomus ad Timoth.2.epiſt.cap.3.hom.8. ſic ſcribit: fides ſine operibus figura ſolum abſque virtute eſt. Thomas 2.2.quæſt.2. art. 2. reſp.ad 5. Credere Deum non convenit infidelibus ſub ea ratione qua ponitur actus fidei: non enim credunt Deum eſſe ſub his conditionibus quas fides determinat: & ideo nec vere deum credunt: idem dici poteſt de fide ſeparata à pia vita. Gropperus 85. fol. Etſi inquit fides, ſpes, charitas tria dona ſpiritus ſunt, & ſingulas ſuas diſtinctas rationes habent, tamen hoc conſtat eam fidem, qua in Deum credimus, quæ ſola efficax, ſincera, integra & ſalutifera eſt, nec infundi nec accipi ſine ſpe & charitate, vnde etſi hæc tria ratione, non tamen tempore ſeparantur, quia ſimul accipiuntur. Quemadmodum enim radius, illuminatio, & calor ſimul tempore ſunt licet ratione atque etiam reipſa diſtincta; ſic in Iuſtificatione hominis, fides, ſpes, & charitas ſimul in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum diffunduntur. Hæc fusè probat iſte author Thomas 2.2.63.quæſt.art.4.in corp. fides præcedit ſpem, & ſpes charitatem ſecundum

dum actus: nam habitus simul infunduntur. Et rursus, 1. 2. quæst. 65. art. 3. cum charitate simul infunduntur omnes virtutes morales, cuius ratio est, quia Deus non minus perfectè operatur in operibus gratiæ, quàm in operibus naturæ. Hæc testimonia vti spero abunde declarant virtutum catenam. Concludo itaque quod bona opera non faciunt iustum, sed iustus facit bona opera; nec habet Deus gratum offerentem propter munera, sed munera propter offerentem. Gregor. 22. Moral. cap. 9. Iram Iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Vnde scriptum est, Respexit Deus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & Munera eius non respexit, sed prius ait quia respexit ad Abel, ac deinde subiunxit, & ad munera eius: ex dantis quippe corde id quod datur accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt: hæc qui habet, cum Bernardo 61. serm. in Cant. dicere potest revera vbi tuta firmaq; securitas & requies nisi in vulneribus salvatoris? tanto illic securior habeto, quanto ille potentior ad salvandum: fremit mundus, premit corpus, insidiatur Diabolus, non cado: fundatus enim

sum super firmam Petram : peccavi peccatum grande, turbabitur conscientia non non perturbabitur. Vulnerum Domini recordabor. Petrus graviter peccavit nec tamen fidem amisit in totum. Leo serm. 9. de passione Dom. circa finem Petrum alloquens, vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem amissam, sed constantiam fuisse turbatam, abundavit fletus vbi non defecit affectus, affectus charitatis lavit verba formidinis. Bernard. Charitas in Petro non fuit extincta sed solum sopita. Theophilactus. Quamvis brevi tempore conterendus sis, habes recondita semina fidei, etiamsi folia dejecit Spiritus Invidentis, radix tamen vivet & non deficiet fides tua. Quid de Davide in gravissimum peccatum lapso scripsit Basilius in Psal. 50. dignum relatu est. Manifeste cognovimus, quòd non fuit Spiritu Sancto privatus : non enim cupit ablatum recipere, sed orat ne eo privetur. Gregorius itaque lib. 2. Moral. cap. 42. verba solatii plena effudit scribens ad hunc modum. Mansuetudo, humilitas, fides, spes, charitas, dei dona sunt, in illis donis, sine quibus perveniri non potest ad vitam æternam. Spiritus Sanctus in electis omnibus semper ma-

manet. Et Auguſt. de corr. & grat. cap. 7. Horum fides quæ per dilectionem operatur, aut omnino non deficit, aut ſi qui ſunt quorum deficit, reparatur antequam iſta vita finiatur. Hæc habui quæ breviter de Pœnitentia ſcriberē. Tuum eſt Chriſtiane Lector, nullum peccatum leve exiſtimare. Bernar. in concione ſancti Pauli. Nemo dicat in corde ſuo, levia ſunt iſta, non curo, corrigere non eſt magnum ſi in his maneam venialibus minimiſq; peccatis: hæc eſt enim impœnitentia Hieronymus ad Celant. inquit, & certe neſcio an leve aliquod peccatum poſſimus dicere quod in Dei contemptum admittitur: eſtq; prudentiſſimus qui non tam conſiderat quod iuſſum ſit, quam illum qui iuſſerit, nec quantitatē imperii, ſed imperantis cogitat dignitatem. ſubiungit. tanto facilius abſtinemus à quocunque delicto, quanto magis illud metuimus: nec cito ad maiora progreditur qui etiam parva formidat. Hæc ſi ſerio expenderēt homines, non dubito quin & à peccatis retraherentur, & ſi peccarent, ad fletum pro peccatis ſuis adducerentur, & cautiores etiam in poſterum redderentur. Hæc mihi & tibi Lector concedat omnipotens Deus propter me-

rita

tita vnici filii sui Iesu Christi.

Nunc vnitatem papisticam in doctrina pœnitentiæ describam.

Contradictio prima.

Thomas 3. par. quæst. 84. art. 7. asserit sacramentum pœnitentiæ institutum fuisse Lucæ 24. Negat Bellarminus, qui vult sacramentum hoc institutum fuisse Iohannis 20. cap.

Secunda.

Scotus affirmat solam absolutionem hominis, Sacramenti essentiam constituere, Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 15. refellitur hæc opinio ab ipso Bellarmino.

Tertia Contradictio.

Durandus solam confessionem partem esse materialem Pœnitentiæ contendit. Bellarminus lib. 2. cap. 27. hanc opinionem refellit.

Quarta Contradictio.

Gropperus tenet actionem Sacerdotis, certo ritu pronuntiantis absolutionem, esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Vti meminisse potest lector negat hanc opinionem Bellarminus.

Quinta.

Idem Gropperus 84. pag. tenet Contritionem, Confessionem & satisfactionem esse

esse partes pœnitentiæ, quæ totam hominis conversionem complectũtur. Bellarminus lib, 1. cap. 19. has partes Sacramenti constituit.

Sexta.

Quidam Papistæ tenent in contritione non includi formale propositum rectè vivendi, quam opinionem refellit Bellarm. lib. 2. cap. 6.

Septima.

Tenet Bellarminus non requiri certum gradum intensionis ad veram contritionem cap. 12. contra quosdam Papistas aliter docentes.

Octava.

Quidam Scholastici docent contritionem mereri iustificationem. Bellar. cap. 12. alii negant: requirunt autem tanquam dispositionem ad iustificationem.

Nona.

Bellarminus cap. 13. docet contritione perfecta cum voto Sacramenti remitti peccata ante sacerdotis absolutionem. Negat Scriptor Catholicus, inquit ille.

Decima.

Tenet Bellarminus fidem esse necessariam dispositionem ad Baptismum cap. 9. Negat Censura coloni. Pueris inquit citra omnem

omnem dubitationis aleam ſacramenta prodeſſe, nemo ſanæ mentis dubitare poteſt, in quibus tamen nulla eſt fides, nulla cordis motio. nullus peccatorum dolor aut gemitus, & ſane ſi in pueris ea ſit ſacramentorum natura, cur non erit ſimilis omnino in aliis, maxime cum neque Chriſtus, nec Eccleſia vnquam vel vllam diuerſitatis huius fecerit mentionem.

Vndecima

Gropperus 85. pag. tenet fidem iuſtificantē non accipi ſine ſpe & charitate: negant alii Papiſtæ.

Duodecima

Idem Gropperus 130. pag. docet ad Iuſtificationem requiri vt ſinguli credant ſibi remiſſa eſſe peccata per Chriſtum. Negant alii.

Decima tertia.

Bellar. lib, 1. de Iuſtificatione. cap. 7. dicit fidem melius per ignorantiam definiri quam per notitiam: hanc opinionem. lib. 1. de *B*aptiſ. cap. 11. ipſe ſolidis argumentis refutavit.

Decima quarta.

Magiſter ſententiarum tenet Sacerdotes tantum habere poteſtatem oſtendendi homines eſſe ligatos, vel ſolutos: negant

gant alii, qui eos iudices faciunt.

Decima quinta.

Bellarminus Peccatum in Spiritum Sanctum definit vti *Calvinus*, secùs alii Papistæ.

Decima sexta.

Quidam Papistæ volunt contritionem, confessionem & satisfactionem esse partes integrales Pœnitentiæ, alii negant. Thom. 3. parte. quæst. 30. art. 3. quidam inquit dixerunt quod sunt partes potentiales pœnitentiæ. Plures contradictiones enumerare non placet: vide testimonium Lombardi ad *Calvini* argumentum asserendum. Ex hac opinionum varietate prudens Lector colliget certitudinem dogmatum Papisticorum. Ad confessionem auricularem & satisfactionem non progrediar: de his in tractatu de Papistarum confessione ea dixi, quæ valent eadem prorsus tollere. Te benigne Lector oro vt si naturam veræ Pœnitentiæ descripserim, eam amplectaris. Qui promisit pœnitenti veniam, non promisit peccanti diem Crastinum.

Noli pro tua humanitate benigne Lector errata Typographo authoris ascribere.

FINIS